

Tom: LXXVI. Miscell:

~~G.H. 70.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

17-18.

VITEBERG.

SIGNAT. 61515CCCXIII.

EXHΓΗΣΙΣ

dicti Paulini

Coloss. 2. v. 9.

In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter;

IN QVA

Præcipua Photinianorum, Calvinistarum & Pontificiorum contra Incarnationis mysterium sophismata, ex verbo Dei deteguntur & solide refutantur;

Ad disputandum publicè proposita,

PRÆSIDE

THEODORO

THUMMIO S. S. THEO-

LOGIÆ DOCTORE, EIUS-

DEM PROFESSORE, ECCLESIAE

Decano & p. r. Rectore Magnifico.

RESPONDENTE,

M. Ioanne Nicolai, Vratislaviensi.


In aula Theologorum Nova ad diem 4. & 5. Iulij.



TUBINGÆ,

TYPIS THEODORICI WERLINI,

ANNO M. DC. XXI



VIRIS

PIETATE, PRUDENTIA,
Autoritate, multoq; rerum usu apprimè
conspicuis,

DN. JOHANNI Niclasß /
Parentioptimè merito:

Dn. THOMÆ Grun /

Dn. IOHANNI Klosen /

Dn. IOHANNI Döring /

Dn. GEORGIO Gomolfen /

Adfinibus honorandis:

Civibus Reipublicæ

Patriæ primarijs,

ἐξήγησιν hanc

dicat,

M. Iohan. Nicolai,
Autor.



Ε' Χ Η Γ Η Σ Ι Σ Διῆτι,

Coloss. 2. v. 9.

Ε' ν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.

In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.

T H E S I S I.



Revem & succinctam loci praesentis Analysis instituentes, circa investigationem scopi Apostolici ante omnia de *contextu* seu *connexione* cum verbis immediatè praecedentibus jure sumus solliciti.

II. Praemonuerat Apostolus Colossenses, ut in doctrina Christi, per *Epaphram* validè jam confirmati, constanter perseverarent, ac à Pseudo-Apostolorum (*docentium* I. *Angelos Christo praestantiores, & per eos aditum ad patrem reclusum esse; solam Evangelij doctrinam ad salutem aeternam consequendam non sufficere, sed requiri in super II. principia Philosophica, & III. Observationem legis ceremonialis per Christum & Apostolos abrogata*) fallacijs & deceptionibus, unicam salutis viam occludentibus, studiosè sibi caverent. Et ne αλόγως id dixisse videatur, continuo *causam,*

2 EΞΗΓΗΣΙΣ ΔΙΚΤΙ ΠΑΥΛΙΝΙ.

cur non in alijs medijs, Philosophiâ scilicet & legibus Mosai-
cis, sed in solo Christo creatore, redemptore, & capite nostro uni-
co, via ad patrem, & salus nostra consistat, & cur ipsius doctri-
na sola sufficiat? eamque satis pragnantem, à summâ
personæ JESU Christi majestate, gloria ac perfectitudi-
ne subjungit; Quia, inquit, in ipso inhabitat
omnis plenitudo Divinitatis corpora-
liter. Syllogismus talis foret: In illo solo unica salutis
nostræ ratio sita est, qui 1. est via ad vitam æternam; 2. fun-
damentum salutis; 3. cui spiritualiter inserti sunt fideles; in
quem 4. etiam salvificè credunt; quiq; 5. est verus DEUS,
in cuius assumpta carne omnis plenitudo Divinitatis inhabitat.
Atqui Christus est 1. via ad vitam æternam v. 6. cap. hu-
ius. 2. fundamentum spirituale salutis v. 7. Cui 3. spiritua-
liter inserti sunt fideles v. 7. in quem 4. etiam salvificè cre-
dunt v. 7. 5. est verus DEUS, in cuius assumpta carne omnis
plenitudo Divinitatis inhabitat, v. 9. Ergo in solo Christo
& non in Philosophia aut legibus Mosaicis unica salutis no-
stræ ratio sita est.

III. Constat autem Aphorismus iste, ut ad institu-
tum nostrum rectâ pergamus, tum subiecto, tum
prædicato.

IV. Subiectum exprimitur voce *ἐν αὐτῷ*,
IN IPSO, quam moderni Photiniani non nisi de do-
ctrina, fide & confessione Christi intelligunt, hoc sensu: In
ipso, id est, in Evangelio seu doctrina, fide & confessione
Christi, habitat omnis plenitudo Divinitatis. Ita enim
Eniedinus in explicationibus locorum V. & N. Testam.
super cap. 2. ad Colos. p. 362. scribit: *Ex his clarus esse po-
test Apostoli verborum sensus; Disputat enim, ut aliâs ferè sem-*
per,

per, contra Pseudapostolos, qui suadebant gentibus, ut circumciderentur, & legem Mosaicam, si salvi esse vellent, observarent (contra quos Paulus decreto Concilij Apostolici innixus & armatus, ubique inculcat sufficere fidem in JESUM Christum gentibus ad Iustificationem, hoc est, ut censeantur in populo DEI, & omnium bonorum ac pinguedinis olea naturalis participes efficiantur. Habebant Iudaei multa dona, & prerogativas, supra ceteras gentes, quas Apostolus recitat, ad Rom. 3. v. 2. & 9. v. 4. Affirmabat igitur Paulus per solam fidem in JESUM Christum, quasvis gentes in possessionem illorum omnium donorum intraduci absque ulla ceremoniarum externarum observatione. Nam in Christo JESU, hoc est, fide & confessione JESU Christi, omnem Deitatis plenitudinem habitare, hoc est, omnia dona recondita & collocata esse. Ergo si quis Christum habeat & possideat, omnia DEI dona & beneficia possidet, nec opus est ut alibi querat, aut Christo alia adiungat, sufficit enim gentili solus Christus. Smaltzius lib. de Divinitate Christi cap. 6. p. 23. Quoniam in ipso, nempe Christo hoc est, doctrina Christi, opponitur enim Christus ibi non personis, sed Doctrinis. Sed falso. Probare enim 1. debebant, non nudè, ut solent, asserere, Christum hinc idem notare ac doctrinam Christi, aliàs turpiter petunt principium. Nec 2. ulla animadvertitur cohærentia inter hanc illorum interpretationem, & proximè antecedens substantivum, Christum, in v. 8. qui Θεὸς ὁμοῦς est, & persona non res aut qualitas, prout frustra contendunt adversarij. Innuitur 3. ab Apostolo tale subiectum, quod est 1. imago DEI invisibilis c. 1. vers. 15. 2. Creator rerum omnium, & 3. redemptor generis humani cap. 1. v. 14. 15. 16. & 17. Dicitur 4. caput corporis Ecclesie cap. 1. vers. 18. caput omnis principatus & potestatis cap. 2. v. 10. 5. Dominus JESUS cap. 2. vers. 6. 6. Fundamentum & basis fidei. v. 7. 7. Denique tale subiectum hinc in-

4 E'ξήγῳσις Dicti Paulini.

telligitur, in quo omnis plenitudo Divinitatis inhabitat, v. 9.
& quidem corporaliter, atque in proprio suo templo, Joh. 2.
v. 22. Quale, ut nemo non intelligit, doctrina Evangelij ne
per somnium fingi potest.

V. Instant: Atqui opponitur ibi Christus non personis, sed
doctrinis; asserente Smalzio lib. de Divinit. Christi c. 6.
p. 23. & in refutatione Thes. D. Franzij de person. Chri-
sti Thes. 23. p. 67. vocem Christi ad personam illius sophisticè
pertrahit Franzius, quam pro doctrinâ ipsius accipi posse, ipse-
met non diffitebitur, vers. 6. Ephes. 4. v. 20. Hebr. 13. v. 8. 9.
Accipienda autem ita esse hoc loco, antithesis Philosophiæ & legis,
quæ scilicet doctrinæ & ipsæ sunt, aperte docet. Catechis. Ra-
cov. p. III. Apostolus orationem suam opponit non personis, sed
Philosophiæ & legi; hinc perspicuum est, eam de doctrinâ Do-
mini Iesu, non de personâ accipi. Argumentum in formâ ta-
le esse potest: Si Christus non personis, sed doctrinis oppo-
nitur, utique vox Christi, ceu subjectum in propositione,
non personam, sed doctrinam denotabit; At verum est
prius. Ergò & posterius. Resp. I. ad propositionem
majorem, eam limitando: Si Christus doctrinis materialiter
opponitur, etiam doctrinam denotat. Jam ad Mi-
norem: Atqui Christus opponitur doctrinis Pseudo-
Apostolorum non Materialiter, sed per modum efficientis,
quatenus nimirum non habent autorem Christum.
Ergò. II. Falsum est, quòd Christus non opponatur personis.
Annon enim Pseudo-Apostolis opponitur, qui Philosophiâ
suâ & traditionibus humanis Colossenses à Christo abduce-
bant: Ab his amandat ad Christum, quem paulò ante
v. 8. nominaverat, ac de eo dicit, eum ad docendum ea,
quæ vera sunt, satis idoneum esse, quia in ipso habitat omnis
plenitudo Deitatis, ipsum plenum esse omni sapientiâ, ma-
jestate atque gloriâ divinâ, imò omnem plenitudinem,
scu

Εξήγησις *Dicti Paulini.*

§

seu quicquid DEUS est, aut ad DEUM pertinet (hoc enim significat *πλήρωμα* hoc in loco) ad Christum spectare, & in ipso tanquam proprio suo templo reperiri, sicut id quoque patet III. ex *oppositione* inter *Christum* & *Pseudo-Apostolos*, tanquam personas, ex modo efficientis, vers. 8. *secundum traditionem hominum, & non secundum Christum*: & vice versa. Gal. I. v. 11. & 12. *non secundum hominem, sed secundum Christum.* IV. Ponamus Christum hoc in loco opponi non *personis*, sed *doctrinis*, sed quid inde? Ergone Christus *persona* esse definit, & in *qualitatem* degenerat? Mira mehercle hæc *Metamorphosis*, cerebro Photiniano digna. Videant, nî visu destituuntur, in contrarium, vel solas Epistolas Paulinas, in quibus *Christus* ceu principale doctrinæ Evangelicæ *obiectum* passim citra ullam permutationem personæ in doctrinam seu qualitatem, *falsis doctrinis & opinionibus* opponitur; Exempli gratia: *Sapientia mundi.* I. Cor. I. v. 20. 21. & seqq. Confer. I. Cor. 2. v. 1. 2. seqq. 2. Corinth. 10. v. 4. & 5. cap. 11. v. 3. & 4. 13. & 17. *falsitati* Gal. 3. v. 1. *doctrina legis* Rom. 10. v. 4. 5. 6. & 7. Gal. 3. v. 23. 24. cap. 4. v. 9. cap. 5. v. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. cap. 6. v. 15. *Traditionibus* Colof. 2. v. 16. & 17. 20. 21. 22. & 23. &c. Nihil proinde hæc suâ instantiâ efficiunt. V. Vox *corporaliter* sensum adverbiorum non admittit; Si enim maximè *plenitudo Deitatis* idem esset, ac *plena DEI voluntas*, illa tamen plena Dei voluntas non habitat in doctrinâ Christi *CORPORALITER.* VI. Immediatè *subsequentia* expositionem Photinianam infringunt. In eo enim *omnis plenitudo Deitatis inhabitat*, qui vers. 10. *omnis principatus & potestatis caput est*; in quo v. 11. *circumcisi sumus circumcissione non manufactâ, in expolitione corporis carnis*; in quo v. 12. *resurreximus*; quique v. 13. *per CRUCEM suam delevit chirographum nobis*

his contrarium, expolians principatus & potestates, &c. quæ sane omnia non de doctrina, sed persona Christi accipienda sunt. VII. Contra Adversarios *classicas* urgemus *versiones*, præsentem textum non de *doctrinâ*, sed *Christi persona* exponentes. Ita enim *Metaphrasis Syriaca*, vertente *Tremelio*, habet: *In Quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*; seu uti *Guido Fabricius* dedit: *Quoniam in Eo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*; *Metaphrasis Arabica* ad verbum: *Qui habitat in Eo perfectissima plenitudo Deitatis corporaliter*; ad sensum verò: *In Quo habitat plenitudo Deitatis corporaliter*; *Germanica Lutheri*: *Dann in J H W wohnet die ganze Fülle der Gottheit Leibhaftig.* VIII. Hinc *orthodoxi patres* præsentem locum consensu unanimi non tantùm de *persona Christi* exposuerunt (ut videre est apud *Arhanasium de Trinitat. Dialog. 3. p. 183. lib. 3. de assumpt. homin. p. 407. Phœbum Episcop. libr. contra Arian. Tom. 5. Bibliothec. Sanctor. patrum p. 268. Marium Victorinum lib. 3. advers. Arian. Tom. 5. Bibliothec. Sanct. patr. p. 319. Idacium Clarum adversus Varimadum lib. 3. Tom. 5. Biblioth. sanct. patr. p. 379. Gelasium Episcop. Roman. adversus Eutyb. & Nestor. Tom. 5. Bibliothec. Sanct. patr. p. 471. Maxentium Dialogor. lib. 2. Tom. 5. Biblioth. S. patr. p. 593. Hieronymum Tom. 8. in Epist. ad Coloss. 2. fol. 182. b. Augustin. Tom. 1. Epist. 57. p. 284. & comment. in Lucam cap. 1. pag. 283. Chrysostomum, Tom. 4. Epist. ad Coloss. c. 2. hom. 6. pag. 1270. Theophylact. in Epist. ad Coloss. cap. 2. fol. 307. Hilarium lib. 2. de Trinitat. pag. 21. 22. lib. 3. pag. 32. 33. & de patris & filij unitate pag. 748. Gregorium Tom. 2. in 1. Regum cap. 1. pagin. 1248. Theodoretum in cap. 2. Epist. ad Coloss. pag. 159. Gaudentium Brixien. Episcop. pag. 122. Joannem Cassianum de Incarnat. Domini lib. 5. pagin. 1265. Damascenum lib. 3.*

lib. 3. de Orthodox. Fide p. 186. 187.) sed plurimi quoque eorum ex eodem *veram aeternam & essentialem* Ἐ λόγος seu *Filij Deitatem* per consequentiam quandam (*dicta enim scripturarum omnia, qua Maiestatem Christi hominis ostendunt, Divinitatem eius praesupponunt*) ex eodem contra Arianos & Antitrinitarios demonstrarunt. Sic enim Athanasius de S. Trinitate Dial. 3. p. 183. *Fateris ne inhabitare in filio omnem plenitudinem Deitatis?* M A C. *Ita scriptum est, quoniam in illo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter;* Idem de Assumpt. Hominis lib. 3. pag. 407. *Nonne scriptum est: Omnis plenitudo Divinitatis corporaliter habitat in ipso? Si aliquid minus est, ubi omnis plenitudo est? aut si aliquid deest, ubi totum est plenum? Nunquid, in quo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter habitat, id est, ut sic dicatur, De aliter, quid potest in ipso inveniri minus?* Phœbabus Episcopus lib. contra Arianos Tom. 5. Bibliothec. Sanct. patr. p. 268. *Denique Apostolus de filio, in ipso, inquit, habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; Ergo ut filius in patre: ita & pater perfectus in filio est.* Marius Victorinus lib. 3. adversus Arium Tom. 5. Bibliothec. Sanct. Patr. pag. 319. *Christus & est substantia, & de patre eius est substantia, quippe cum & ipse sit lumen de lumine, de DEO spiritus λόγος, per quem facta sunt omnia, & cum sit ita, ut usque ad mysterium corporale substantia sua venire voluerit, de quo dictum ab Apostolo, & non secundum Christum, quia in illo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; quod est ἁγιακῶς; Deus enim potentia, & λόγος actio, in utroque utrumque &c.* Joannes Maxentius Dial. 1. 2. Tomo 5. Biblioth. Sanct. Patr. p. 539. *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Nunc iam non totam Trinitatem, sed Deum tantummodo filium in Christo esse dicis, pro eo quod scriptum est: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Hilar. lib. 2. de Trin. p. 2127. *Verus filius Dei est,*

B qui

qui clamat; qui videt me, videt & patrem, sed neque esse ut caetera visus est, namque unigenitus ex uno est, & in se habet vitam, ut habet in se vitam ille qui genuit, ait enim: sicut habet pater vitam in semetipso; ita dedit filio vitam habere in semetipso. Sed neque pars patris in filio est, testatur enim filius, omnia quae patris sunt, mea sunt. Et rursum: Et mea omnia tua sunt, & tua mea. Et quaecunque habet pater, dedit filio. Testatur & Apostolus. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Idem lib. 3. de Trin. pag. 32. 33. Hic ergo ingenuitus ante omne tempus ex sese filium genuit, non ex aliqua subiacente materia, quia per filium omnia. Non ex nihilo, quia ex se filium: non ut partum, quia nihil in DEO demutabile ac vacuum est: non partem sui vel divisam, vel discissam, vel extensam, quia & impassibilis & incorporeus Deus est: haec autem passionis & carnis sunt, & secundum Apostolum, in Christo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus & secula, unigenitum ex his, quae ingenuit in se erant, procreavit. Idem de patris & filij unitate pag. 748. Quia in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, in quo per inhabitantem in eo corporalem Divinitatis plenitudinem, verum & perfectum & paternam Naturam DEUM demonstrari docuimus. Ita & inhabitans plenitudo nec diversum intelligeretur, nec unicum: & cum corporalis habitatio proprietatem Naturalis unitatis in DEO, qui ex DEO subsistisset, doceret, & habitans in Christo DEUS subsistentis Christi nativitatem, dum eius est & habitator, ostenderet. B. Gregorius Tom. 2. in 1. Reg. 1. expos. pagin. 1248. Redemptor humani generis, quia summi Patris est Verbum, Dominus est utique omnium scientiarum. Alta quippe & magna locutus est Esaias, magna locutus est Hieremias: sed profecto nihil dicerent, si hoc Verbum, scientiarum Dominus, non eis, antequam loqueretur, scientias indicaret. Vnde & frequenter in libris eiusdem
Esaiæ

EΞΗΓΗΣΙΣ ΔΙΚΤΙ ΠΑΥΛΙΝΙ.

9

Esaiæ Prophetæ legitur: Verbum, quod factum est ad Esaiam. Frequenter & in libro Hieroniæ scribitur: Verbum, quod factum est ad Hieremiam Prophetam. Hoc Verbum, scientiarum Dominum, Ioannes in altissimo summi Patris sinu aspiciens, ait: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & DEUS erat Verbum. Hinc Paulus scientiarum Dominum, nostrum Redemptorem insinuans, dicit: Quia in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Joann. Damascenus Orthodoxæ fidei lib. 3. p. 186. & 187. Sic confitemur Deitatis Naturam omnem in unaquaque suarum Hypostaseon perfecte esse, omnem in Patre, omnem in Filio, omnem in Spiritu Sancto: Quapropter & perfectus DEUS Pater, perfectus DEUS Filius, perfectus Deus Spiritus Sanctus. Sic & in humanatione, unius Sanctæ Trinitatis, Dei Verbi, dicimus omnem & perfectam Divinitatis Naturam, in una sui ipsius Hypostaseon unitam omni humana Naturæ, & non partem parti. Ait enim Divinus Apostolus, quod in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter: hoc est, in carne eius; Et eius discipulus Deifer, & circa divina plurimus, Dionysius Areopagita ait, quod penitus nobis in una sui ipsius communicavit Hypostaseon. Nulla tamen nos cogit necessitas, ut dicamus, omnes sanctæ Divinitatis Hypostases, id est, omnibus humanitatis Hypostasibus secundum hypostasim unitas esse. Nam nullâ ratione communicavit Pater & Spiritus Sanctus incarnationi DEI Verbi, nisi secundum acceptionem & voluntatem. Ac omni humana Naturæ, inquit, unitam esse omnem Divinitatis substantiam: Nam nihil eorum, quæ plantavit in Natura nostra DEUS Verbum, cum in principio plasnavit nos, deficit, sed omnia assumpsit, corpus, animam rationalem & intellectivam, & eorum proprietates. Quod enim unius horum expers animal, non homo est. Totum enim totus assumpsit me; & totus toti unitus est, ut toti salutem largiretur. Nam quod in assumptum, est incurabile. Joann. Cassianus de

B 2

Incar-

Incarnat. lib. 5. pag. 1265. Omnes credentes Deum, filij DEI sunt per adoptionem; Unigenitus autem filius per Naturam: qui non ex materia aliqua est à patre genitus: quia omnes res, & omnis rerum materia per unigenitum DEI filium est, non ex nihilo, quia ex patre: non quasi partus, quia nihil in DEO vacuum, atque mutabile, sed ineffabiliter, atque inestimabiliter. DEUS pater in his, quæ ingenita erant in se, unigenitum suum genuit: ac sic ab ingenito summo & sempiterno patre, unigenitus, summus & sempiternus est filius: Idem habendus in carne, qui habetur in spiritu: Idem credendus in Maiestate, qui nasciturus in carne. Non divisionem aliquam aut discissionem sui fecit, ut se ex parte aliquâ non nascente, pars sui aliqua nasceretur, aut aliquid in eo Divinitatis postea superveniret, quod in eo natum ex virgine non esset. Omnis enim, iuxta Apostolum, omnis in Christo plenitudo Divinitatis habitat corporaliter.

VI. Nonnulli ex Photinianis, uti in Antifocino p. 134. 659. & 660. videre est, dictum hoc de homine Christo, exclusâ & negatâ divinâ ipsius Naturâ, exponunt, atque hunc sensum eruunt: plenitudo Deitatis præsens in Christo, qui homo tantum est, habitat; id est, plenitudo donorum Dei, ut non in alijs; Resp. I. Si Christus tantum homo, & non in infinitam ἡ λογὴ ὑπόστασις assumptus, ac per realem duarum Naturarum unionem, κοινωνίαν & ἁειχώρησιν Naturæ τοῦ λόγου infinitæ, omniumque Divinitatis idiomatum realiter particeps factus est, quomodo plenitudo illa, quæ non dimensa, sed infinita est, in ipso σωματικῶς habitare posset? II. Si Christus tantum homo, & propter finita ac commensurata saltem dona DEUS est, non aliâ ratione DEUS crit, quàm quâ nos quoque Divinæ naturæ consortes sumus, 2. Pet. 1. v. 4. cùm magis & minus non varient speciem; Inhabitat ergo plenitudo Divinitatis in Christo corporaliter, non tantum communicatione finitorum donorum & efficacitate, sed infinita,

ta,

etiam, substantiali & Hypostaticâ unione, qua de infra pluribus.

VII. Cæterum nonnulli subiectum voce *ἐν αὐτῷ* expressum, ad Christum *θεῶν θεῶπων*, seu ad subiectum *Quo* referunt, & hætenus quidem ex *scopo & intentione* Apostoli rectè. Ubi verò porro de subiecto vel principio *Quo* quæritur, quodnam illud sit, cui talis inhabitatio in Christo competat? varia sententiarum oriuntur divortia. Pontificij & Calviniani, Christum esse contendunt, secundum utramque Naturam. Sic enim Johann. Busæus in disput. de persona Christi, Theol. 69. *Valdè premunt sententiam illam, quæ est in Epistola ad Coloss. In ipso (id est in Christo) inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, &c. ex quibus perspicuè probari, Maiestatem Divinitatis corporaliter vel realiter humanitati Christi esse communicatam, sed hoc argumentum, uti multifariam everti potest, sic necesse est infirmissimum videri. Nam in Epistola illâ Apostolus affirmat, non in humanitate, sed Christo inhabitare plenitudinem Divinitatis, quod verissimum est quia non tantum more sanctorum cæterorū & per gratiam consors factus fuit Divina Natura, sed plenissimè & perfectissimè homo & DEUS &c. Franciscus Suarez Tom. 1. Commentar. in 3. part. D. Thom. Disput. 10. artic. 2. quæst. 2. pag. 239. Mihi maximè placet, si ita explicetur, quod plenitudo Divinitatis dicatur fuisse in Christo corporaliter, quia ex Verbo Divina & humana Natura corporea, una ineffabilis substantia corporalis composita sit, &c. Thomas in 2. cap. Coloss. sect. 2. p. 162. Habitabilis dicitur Christus, non quasi alius sit, qui habitat, & qui inhabitatur, sed ipse est & homo, & DEUS, in quo habitat plenitudo Divinitatis. Lyra in cap. 2. Coloss. In eo habitans plenitudo nihil aliud intelligitur, quam Christus, Daniel Tossianus in prælectionibus super secun-*



dum caput ad Colofs. pag. 321. phrasis Apostolica diligenter est attendenda: in ipso, id est, in persona redemptoris habitat plenitudo Deitatis σωματικῶς; Idem asserit Paulus Toffanus contra D. Winckelm. in Apol. ad Thef. 73. Beza in annot. super cap. 2. ad Coloss. *Apostolus ab Hypothesi ad thesin questionem revocat. Cū falsos aliorum cultus quærant homines, quòd Christum unum sufficere non arbitrentur, opponendus est illis Christus, qualis est reipsa, nempe ita verus homo, ut sit verus DEUS, & ita iunctis Naturis, ut unus sit Christus, in quo uno perficimur.* Sohnius Tom. 2. in August. Confess. pag. 408. *Non in abstracto, sed in concreto ait Apostolus, hoc est, de persona. Et, pag. 409. Hoc propositum est. Apostolo ostendere, qualis sit Christus, nimirum ita verus homo, ut etiam sit verus DEUS, ac proinde ostendit, non qualis sit Natura humana, sed qualis sit persona Christi.* Vide Ursinum in explic. Catech. pag. 241. *qui perfectionem personæ Christi colligit ex hoc loco, quia est DEUS & homo, omnibus creaturis donis antecellens. Verū opinio hæc vel ob id consistere nequit, quòd non distinguat inter subiectum ὑπάρξεως & κἀληγορίας, hoc est, inhætionis & denominationis. Christum Θεάνθρωπον ratione κἀληγορίας seu denominationis, δοχεῖον & habitaculum plenitudinis Deitatis esse non negamus, ratione verò ὑπάρξεως omninò inficiamur, sicuti in sequentibus id demonstrabimus.*

VIII. Nonnulli Calvinianorum alteram in Christo Naturam, seu λόγον ipsum subiectum huius inhabitationis statuunt. Sic enim Joann. Georgius Grossius in theatro biblico super hunc locum p. 1717. è Polani Syntagm. Theol. scribit: *In Christo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter, nihil aliud est, quàm Christum esse verum & perfectum DEUM naturaliter seu essentialiter: In Christo esse, perfectam Deitatis Essentiam: DEUM in Christo se nobis*

nobis plenè & perfectè in solidum exhibere, ac proinde, non esse querendam alibi vera cognitionis & salutis nostræ partem ullam. Marloratus Comment. in hunc locum: Nihil deest Christo filio DEI, quod ad DEUM pertinet, ad Divinitatem spectat, quod efficit DEUM, decet DEUM, testatur de DEO, operatur Deus &c. Sed & hæc sententia priore multis nominibus intolerabilior: Quia sic I. expiraret discrimen inter id, quod *inhabitat*, & quod *inhabitur*, quod tamen Apostolus disertè assignat. Hinc Chrysostr. Dialog. 2. Theodo. de inhabitatione Verbi, in carne nostra scribit: *Habitans in tabernaculo, & ipsum tabernaculum non sunt idem, sed aliud in alio habitat, alioqui non esset tabernaculi collocatio. Nihil enim in se ipso habitat: Dico autem aliud consideratione Essentia.* Futilis II. introduceretur ἀδολογία, si diceremus, *Divinitatem* inhabitare in *Divinitate*. Absurdum foret III. cùm omnia in DEO *Essentialia* sint, vel ipsa DEI *Essentia*, fingere inhabitationem ejus, ubi *mera Essentia identitas*. Sequeretur IV. si in Christi Divinitate plenitudo Divinitatis inhabitaret, Christum non esse DEUM *per Naturam*, sed *ex gratia tantum* & per inhabitationem. Sequeretur in super V. aliud esse DEUM seu Divinitatem, & aliud *Divinitatis plenitudinem*. Effet VI. Christus plenus ab æterno DEUS per ὁμοσίαν, hoc est, *secundum beneplacitum & voluntatem patris*, non per Naturam, ex Coloss. I. v. 19. Effet etiam VII. ut Deus *minor patre*, propterea quod pater non per *inhabitationem*, sed per *Essentiam & Naturam* Deus sit, adeoque per suæ ὁσίας absolutissimam perfectionem, modoque longe sublimiore ac Diviniore, quàm qui per inhabitationem describitur.

IX. Subjectum ergò ὑπαρέξεως hujus inhabitationis, humanam Christi Naturam esse

pro-

probamus I. Ab axiomatico Theologico: *Quicquid prædicatur de Christo, prædicatur aut secundum Naturam utramque, aut secundum alterutram, tertium ab his Naturis diversum qui fingit, suam sine dubio circa hoc mysterium impietatem prodit & inscitiam.* Christus enim est non nisi duæ Naturæ ἑνωμένως unitæ, & hæ ipsæ duæ Naturæ sic unitæ, sunt non nisi una persona, Deus & homo. Subsumimus: Atqui inhabitatio plenitudinis Divinitatis prædicatur de Christo v. 9. Ergò aut secundum Naturam utramque, aut secundum alterutram, adeoque aut secundum Divinam, aut humanam. At non secundum Divinam, propter absurda jam modo enumerata. Ergò secundum humanam. II. A scopo Apostoli, qui cap. 1. v. 14. 20. & 21. dilucidè affirmat, *nos reconciliatos esse carne & sanguine Christi.* Confirmat hoc suum enunciatum inter argumenta alia v. 9. cap. 2. *Quia in ipso inhabitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Unde hunc in modum colligimus: Per illam carnem, illumve sanguinem, reconciliati sumus DEO, in qua carne, & in quo sanguine plenitudo Deitatis inhabitat. At plenitudo Deitatis inhabitat *in carne & sanguine Christi.* Ergò per carnem & sanguinem Christi sumus reconciliati Deo. Et vice versâ; per quam carnem & per quem sanguinem sumus reconciliati, in illa carne & in illo sanguine inhabitat plenitudo Deitatis: at sumus reconciliati per carnem & sanguinem Christi. Ergò in carne & sanguine Christi inhabitat plenitudo Deitatis. Contrâ: Si ἀποχέρον plenitudinis Divinitatis Christus secundum Naturam Divinam intelligeretur, ἀπεσπέντως utique & sine omni impedimento incommodoque Apostolus hunc medium terminum posuisset, hoc modo: Sumus reconciliati carne & sanguine Christi, Quare? Quia in Divinitate Christi in

Iti inhabitat omnis plenitudo Divinitatis. Cujus quidem conclusionis vanitatem quis non deprehendit? III. à voce *σωματικῶς*, subjectum illud limitante; ex qua colligere licet, inhabitationem illam de Christo ratione corporeæ naturæ, & non Deitatis intelligendam esse, siquidem plenitudo Deitatis, respectu inhabitationis in Deitate Christi, corporea dici non possit, sed respectu humanitatis, quæ est templum DEI Verbi proprium, extra quod non vult quæri, inveniri aut coli; sed de hac suo loco infra. Sufficiat hinc vel digito indice innuisse, subjectum inhabitationis Divinitatis dici τὸ σῶμα, hoc est, carnem assumptam, seu humanam, non Divinam Christi Naturam. Et qualis demùm esset determinatio, stante hypothese illâ, quæ Christi Divinitatem habitaculum plenitudinis Divinitatis arguit? Talis nimirum: Omnis plenitudo Divinitatis inhabitat in Divinitate Christi corporaliter. At verò quis vel fando audivit, *Divinitatem habitare in Divinitate corporaliter?* Apage sis cum nugis istis Satan! IV. à capite corporis Ecclesie, ut & omnis principatus & potestatis, quo Christus, Dominus noster in hac ipsâ Epist. ad Coloss. c. 1. v. 18. & c. 2. vers. 10. insignitur. Idque duplici respectu. I. Ratione officij ac Dominij, quatenus redemptor est & sanctificator Ecclesie, & quatenus membris suis præest, eaque regit, gubernat, sustentat atque confirmat, non secus atque caput singula corporis membra regere solet atque vegetare. II. Ratione ὁμογενείας, hoc est, ob naturæ cum nostra Identitatem specificam. Illo, secundum Naturam utramque, hoc, non nisi quoad humanam. Ratio: quia dum Christus consideratur, ut Deus & creator ad creaturas, non comparatur ad eas ut caput, propterea, quòd ipsis non sit ὁμογενής. Comparabilia autem, ut ex scholis Philosophorum novimus,

C

mus,

mas, oportet ut sint ὁμογενῆ καὶ ὁμοειδῆ, hoc est, *uniformis & eiusdem speciei.* Syllogisticè: Comparabilia debent esse ὁμογενῆ καὶ ὁμοειδῆ; At Christus nobis non est ὁμογενῆς, nec ὁμοειδῆς; puta secundum *Divinam suam Naturam.* Ergò Christus secundum *Divinam Naturam* ad nos non potest comparari ut *caput.* Jam: Secundum quam *Naturam* Christus *caput* nostrum est, secundum eam *in ipso inhabitat plenitudo Divinitatis.* Consequentia patet invictè ex Epist. jam ante allegatæ cap. 1. v. 18. & c. 2. v. 10. ubi subjectum inhabitationis *Divinitatis,* Christus *caput* nostrum innuitur. At Christus est *caput* nostrum nobis ὁμογενῆς, ut modò probavimus. Ergò in Christo secundum *humanam Naturam* inhabitat plenitudo *Divinitatis.* V. Ab autoritate *Orthodoxorum Patrum,* qui in propositionibus de Christo, juxta *Cyrilli regulam* diligenter attenderunt, utrum prædicatum de utraque Christi natura, an verò de altera tantùm, & de qua accipiendum sit? Cùm autem, ex sententia *Damasceni lib. 3. de Orthod. Fide c. 3. & 19. Christus non sit unius compositæ Naturæ, vel substantiæ, sed duæ perfectæ & integræ Naturæ unus sint Christus,* & *Paulus inhabitationis corporalis* meminere, absurdissimum esse senserunt, *omnem plenitudinem Deitatis in Deitate Christi inhabitare,* eò quòd hoc nil aliud esset, quàm *idem habitare in seipso,* unum proinde in alio, tanquam à se diverso, hoc est, *λόγον* seu omnem plenitudinem *Deitatis τοῦ λόγου* in assumptâ *CARNE* habitare, constanter asseruerunt. Athanasius de *Natura humana suscepta: Cùm dicit Apostolus; quòd in Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: plenitudinem illam habitare IN CARNE,* intelligendum est. *Cyrillus lib. 12. Th. l. cap. 15. Corpus Christi, templum est verè: in IP SO enim voluit habitare corporaliter tota plenitudo Deitatis, ut ait Paulus & c. Hieronymus*

nymus

nymus Tom. 8. In Epist. ad Coloss. fol. 182. b. *Omnia plenitudo Divinae naturae in CORPORE eius inhabitat.* August. Comment. Luc. 1. cap. *Corporaliter dictum est, quia & in Christi CORPORE, quod assumpsit ex virgine, tanquam in templo habitat DEUS.* Hinc est enim, quod Iudaeis signum petentibus, cum dixisset: *solvite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud,* Evangelista consequenter exponens quid hoc esset, ait: *dicebat de templo corporis sui.* Theophyl. in Epist. ad Coloss. c. 2. fol. 307. *Quodcunque DEUS & Verbum in ipso habitat, sed ne forte inhabitasse hunc audiens, existimes inhabitando & operatum esse, quemadmodum & Propheta solebant, in quibus DEUS inhabitabat, secundum quod scriptum est: & inhabitabo in eis & inambulabo, corporaliter scil. adiunxit hoc est, non operatione aliqua, sed SUBSTANTIâ, & tanquam corporatus & substantia una existens cum CARNE assumpta, vel: potest hoc modo intelligi, videlicet, tanquam in CORPORE, cum inhabitat anima, corpore quidem hac vivit substantialiter, & inseparabiliter, ac sine ulla admixtione; Anima tamen ipsa corpore excedit, corpus dum moritur. DEUS autem Verbum nunquam à CARNE assumptâ seiunctus est, quin & in sepulcro aderat isti, eandemq; ipse & incorruptam servabat, ad inferosq; descendens cum carne hac erat. Sive igitur predicans, sive cum inclusos Inferni claustris & detentos iam solveret, iunctus erat divinus cum corpore animus, vel tum etiâ, cum voluntariâ morte decessit.* Chrysostr. Tom. 3. p. 894. *Non dixit simpliciter, in quo habitavit Deitas, sed plenitudo Deitatis, hoc est, omne Deitatis donum. Ut ne quis putet, quod in DEO Verbo habitaverit, dicit; in quo habitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter. In Carne eius omnis plenitudo sapientiae, intellectus, virtus signorum omnis operationis.* Gelasius Episc. Rom. advers. Eutych. & Nestor. Tom. 5. Biblioth. Sanct. Patr. p. 471. **HOMINIS filius à dextris stans DEI, beato Martyri Stephano**
C 2 testifi-

testificante, conspectus, sic in caelestibus constitutus, beato Paulo
 predicante, monstratur, cum ait: in quo habitat omnis plenitudo
 Divinitatis corporaliter. Theodoretus in cap. 2. Epist. ad
 Coloss. p. 159. Nonnulli Doctores dixerunt, Ecclesiam esse hic
 Christum nominatam, & in ea habitare omnem plenitudinem
 Divinitatis. Nescio autem, an etiam corporaliter eiusmodi sen-
 tentia contemplationi conveniat. Existimo ergo, quoniam
 Christum nominavit caput Ecclesiae, clarum est autem, quod
 quatenus homo est, est nostrum caput, haec quoque tanquam de
 HOMINE dicta esse, qui omnem in se continet Divinitatem.
 Etenim divinus Apostolus, volens significare differentiam legis
 & gratiae, elementorum egestati Christum opposuit: & per am-
 borum invicem collationem volens ostendere, quam sit longe su-
 perior, adiecit, quod in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinita-
 tis corporaliter, hoc est, tanquam in proprio corpore. Non enim
 singularem, inquit, aliquam gratiam accepit, quemadmodum
 Moses: DEUS enim est & homo, & id quod videtur, habet uni-
 tam Unigeniti Divinitatem. Gaudentius Brix. Episc. pa-
 gin. 122. Eundem credamus DEUM, quem pro nobis & ho-
 minem confitemur: Nam QUEM INCLINATUM nun-
 ciat, pariter dicit & plenum, ut IS, QUI SE EXINAN-
 VIT formam SERVI accipiens, plenus Deus esse non desinat.
 Habitavit enim in Christo omnis plenitudo Divinitatis corpora-
 liter, & de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro
 gratia. Damascenus lib. 3. Orthodox. Fid. p. 186. & 187.
 ait Divinus Apostolus, quod in ipso habitat omnis plenitudo Divi-
 nitatis corporaliter; hoc est, IN CARNE EIUS. Commen-
 tator Damasceni, pag. 189. Quod comprobatur Auctor testi-
 monio Pauli, dicentis ad Coloss. cap. 2. quod in Christo habitat
 omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Vbi omnis plenitudo
 Divinitatis, dicitur tota perfectaque Divinitas: Non eius particu-
 la quaedam. Et haec in Christo secundum humanam Naturam
 habi-

habitat corporaliter, quia unita est sacratissimo corpori & animæ eius, in Unitatem suppositi, & manet in eo unione excellentissimâ, & longè augustiorem, quam habitat in Iustis per gratiam; non quidem corporaliter, sed solum spiritualiter, neque per Unionem substantiæ, sed per habitum gratiæ. Cassianus lib. 5. de Incarnat. Domini: De quo David Propheta ex persona ipsius dicit: De ventre matris meæ Deus meus es tu, ostendens utique, quod nunquam HOMO ille Dominicus, sine Unitate DEI fuerit, in Quo ipso statim Virginis utero plenitudo Divinitatis habitaret. Hinc Fulgentius lib. 1. ad Thrasimund. Idem DEUS totam in se suscepit naturam hominis, & idem homo totam in se HABET substantiam Deitatis. VI. à concessione Adversariorum, qui & ipsi subjectum ὑπέξεως Carnem Christi, in ὑπόστασιν τοῦ λόγου assumptam, constituunt. Ita enim Bellarm. lib. 3. de Incarnat. c. 16. p. 649. Solum ergo Paulus voluit dicere, in Christi HUMANITATE habitare Divinitatem corporaliter, id est, non umbraticè, ut in Angelis & Prophetis, qui gerebant DEI personam, sed vere, ita, ut ille homo verè fuerit DEUS, & illa humanitas, DEI fuerit humanitas. Cornelius à Lapide Commentar. in 2. cap. Coloss. Plenitudo Divinitatis idem est, quod plena & tota Divinitas, quæ in Christo homine inhabitavit. Zanchius Tomo 1. operum lib. de uno vero DEO 3. cap. 3. p. 435. Si in dicto Apostoli Coloss. 2. v. 9. ut nos cum tota vetustate interpretamur, intelligas plenitudinem Deitatis, hoc est, totam Deitatem in Christo, hoc est, in HUMANA Christi NATURA inhabitare corporaliter, seu Unionem essentiali & hypostaticâ, ita ut Christus duabus istis constans naturis, verus sit DEUS & homo, admittimus & profitemur, hanc esse veram & legitimam causam, cur debeat adorari & invocari totus Christus, humana etiam in eo Natura, respectu hypostaticæ Unionis cum Divina. Tom. 2. operum lib. 2. de Nat. DEI. c. 6. In Christo seu in



HUMANA Christi NATURA inest & inhabitat Deus, non tantum ut causa efficiens, sed etiam ut pars compositi &c. Proinde non simpliciter dicit Apostolus Coloss. 2. vers. 9. In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis, sed adiicit, σωματικῶς. Tom. 3. operum lib. 3. de Imagine c. 1. p. 682. Neque Apostolus scripsit, in ipsius anima inhabitat plenitudo Deitatis, sed in ipso (toto Christo, in tota scil. humanitate Christi) inhabitat plenitudo Divinitatis, & quidem σωματικῶς, &c. Polanus in part. 2. Syllog. Theol. Disp. de Unione Person. Theol. 15. p. 132. Quâ si divinam Naturam consideremus sermo æternus, ubique existens secundum Essentiam, eximio singulariq; modo, videlicet σωματικῶς, id est, corporaliter, personaliter in assumpta ex Maria Virgine Naturâ, tanquam in proprio templo habitat, quemadmodum Paulus testatur Coloss. 2. v. 9. In eo inhabitat corporaliter omnis plenitudo Deitatis, hoc est, ipsa vera unica & æterna Deitas, plenissimus fons omnis vitæ, sapientia, Virtutis & bonitatis in omnibus rebus. Vnde CORPUS Christi, appellatur Templum Ioan. 2. v. 19. 21. Grossius in Theatro biblico, super hunc locum p. 1718. è Polan. Syntag. Theol. cum Paulus Coloss. 2. v. 9. ait: In Christo inhabitare omnem plenitudinem Deitatis, nihil intelligit, quàm totam plenitudinem Deitatis, non simpliciter, sed quatenus est singulariter in filio, inhabitare in assumpta HUMANA ὑποστατικῶς. Id quod contra Adversarios erat concludendum; Atque hæc de subjecto.

X. Circa Prædicatum tria potissimum notatu digna sunt, I. Inhabitatio ipsa; II. Res inhabitans, & III. Inhabitationis modus.

XI. Inhabitationem exprimit verbo κατοικεῖ, composito ex κατὰ & οἰκέω, à nomine οἶκος, hinc κατοικεῖ inhabitat; Ubi duo monenda, I. Inter κατοικεῖν, παρα-

παροικεῖν, προσοικεῖν, συνοικεῖν, ἐνοικεῖν, κατοικεῖν esse aliquod discrimen, sed non tale, ut κατοικεῖν semper & ubique perpetuam & aeternam mansionem & inhabitationem significet, uti nonnulli ex Jesuitis & Calvinianis contendunt. Ita enim Salmeron in hunc locum, pag. 339. κατοικεῖ, id est, inhabitat, coniunctionem declarat, non temporalem, sed perpetuam. Unde non dicit κατοικήσεν, ut Matth. 2. quod habitavit in Nazareth. Apud Græcos siquidem differunt παροικεῖν & κατοικεῖν, sicut apud Latinos habitare & commorari. Unde Cicero: Comorandi natura diversorium nobis, non habitandi dedit, & Petrus παροικίωσιν, nostram vitam eleganter vocat, sicut è contrario, Psalm. 86. legimus de futura vita, sicut habitantium omnium habitatio est, & ibi habet κατοικία, quia Beatorum perpetua est mansio. Repetijt hæc Cornelius à Lapide in Com. super hunc locum pag. 690. Eadem in scriptis Calvinianorum quoque passim legimus. Verùm linguarum orientalium periti, multis demonstrarunt exemplis, verbum κατοικεῖν indiscriminatim, pro natura & conditione subiecti aut modo rei, pro temporali & aeterna usurpari habitatione, ita ut ex sola nominis notatione grammatica, apodicticum contra Adversarios argumentum peti non possit. II. Inhabitandi verbum non uno modo de Deo dici. I. enim inhabitat Deus generaliter omnibus rebus à se productis, non solum virtute & efficaciam, sed ipsam etiam scientiam, quæ Jeremiæ 23. vers. 24. cælum & terram implet, quæ inhabitatio, propriè loquendo non ipsa universalis ad omnes creaturas presentia, sed generalis presentiam consequens est, cum aliud sit, Deum ubiq; adesse, aliud verò Deum ubiq; habitare. Licet enim lubenter duo largiamur, I. Deum nunquam & nusquam otiosum esse, sed semper & ubiq; operari; II. Deum solari pios per presentiam, & terrere impios; quia tamen universalis illa ad Creaturas presentia, ceu attributum quoddam
rela-

relativum, non omnipotentia (secundum quam Deus agit) sed infinitatis seu immensitatis Dei (secundum quam Deus creaturis per indistantem adessentiam non potest non semper actu adesse) consequens est, illam non per actionem, ἐνέργειαν aut operationem, sed proprie & accurate loquendo, tantum per indistantem ad creaturas adessentiam definire & describere possumus. II. Sacramentaliter, in omnibus etiam indignè communicantibus, uti in disputat. nostra de vera, reali & substantiali carnis & sanguinis Christi Θεω-θώπης in coena praesentia in thes. 53. & seqq. demonstravimus. III. Gratiòse, per fidem in omnibus verè credentibus; quo sensu Tota Trinitas, Joh 14. v. 22. hoc est, Deus Pater, gratià & misericordià, 2. Cor. 6. v. 16. Christus Θεω-θώπης virtute meriti, Eph. 3. v. 17. Spiritus Sanctus verò auxilio, consilio, solatio & praesidio, Rom. 8. v. 9. 10. II. 1. Cor. 3. v. 16. cap. 6. v. 19. 2. Tim. 1. v. 14. in omnibus & singulis habitat renatis. IV. Gloriosè in consummatè beatissimis, 1. Cor. 15. v. 28. V. hypostaticè, in assumpta, sibi personaliter unità, ac per realem κοινωνίαν appropriatà carne, quam in habitationem Apostolus hoc in loco verbo κατοικῆ indigitat.

XII. Inhabitat autem λόγος & carnem in persona sibi unitam, ac reali κοινωνίαν appropriatam, non sicut homo, qui domum quidem inhabitat, non tamen domus esse, aut proprie domus habere dicitur, sed ab hypostasi à domo distinguitur, uti Bellarmin. lib. 3. de Incarnat. cap. 16. pagin. 646. & Busæus Theol. 69. Disputat. de persona Christi, realem naturarum κοινωνίαν eludere contendunt (quæ sanè assertio hominibus alioquin non indoctis indignissima, ac singularis amētia indicium est, ex similitudine in habitationis domus, summum Incarnationis mysterium, sanamque ac consolatione plenissimam doctrinam, de vera & reali communicatione idiomatum impugnare velle; caro enim

enim assumpta 1. natura est, propriâ ὑποστάσει destituta, cum Filio Dei 2. unum hypostaticum constituens; domus autem quia natura non est, tale unum constituere nequit: 3. domus non est homo; sed postremus Adam est ipse Dominus de caelo, 1. Cor. 15. v. 47. Domus non est proprietas hominis, sed sanguis humanitatis, dicitur filij Dei, 1. Joh. 1. proprius sanguis, Act. 20. v. 28. Rom. 8. v. 32. homo non fit Domus, sed Verbum caro factum est, Joh. 1. v. 14. domus non fit Homo, sed reciprocè postremus Adam factus est in Spiritum vivificantem, 1. Cor. 15. v. 45. domus non est in homine, sicuti caro assumpta est in Deum; nec λόγος ullo modo, sive essentialiter, sive personaliter, est extra suam carnem, sicut homo intra & extra suam domum esse potest) verùm ita, ut λόγος inhabitans, & caro inhabitata 1. unum ὑφυστέμενον constituent; 2. in uno illo ὑφυστέμενω ita intimè & præsentissimè unita sint, ut 3. propter veram ac realem duarum naturarum περιχώρησιν & κοινωνίαν, hoc est, immanentiam, immeationem, circumincessionem & cōmunionem, singula sint in omnibus, & omnia in singulis, & singula in singulis, & omnia in omnibus, & unum omnia; quam realem duarum naturarum κοινωνίαν ac subsequentem idioma- tum Communicationem probamus I. à scopo Apostolico, qui est, recōciliationem & pacificationem nostram cum Deo, per sanguinem & mortem Christi factam esse, unde concludit: nos citra ullum vel legis, vel Philosophiæ adminiculum, per solum Christum (qui caput nostrum est, ex quo ad nos, tanquā membra, omnia illa bona, quæ ad iustificationem nobis sunt necessaria, derivantur) posse completos seu perfectos reddi, quod inde probat, quia in carne Christi assumpta omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter; quæ omnia mors finita potentiae carnis & corporis, nullo modo præstare potuisset II. A Subiecto; licet

D

enim

enim duæ naturæ sint in Christo, inhabitans, & inhabitata, illæ tamen ita *intimè ac præsentissimè* unitæ sunt, ut *unum ὑφυσάμενον* constituent, quod Paulus verbis ἐν αὐτῷ ἸΝ Ἰ Ρ Σ Ο exprimit; Cùm igitur caro extra λόγον ante assumptionem non αὐτοπέσαιτο, sed ἐνυπόσειτο, ὑπόσεισα ἐν αὐτῇ ὑπόσεισε ἔ λόγος tota & omnis concepta, tota & omnis concipiendo assumpta, tota & omnis concipiendo assumendoque in infinito λόγῳ consolidata & statuminata sit, utique caro per realem κοινωνίαν infinitæ ὑπόσεισεως ἔ λόγος particeps facta est, nisi quis carni aut propriam ὑπόσεισιν cum Nestorio adscribere, aut eidem etiam communicatam ὑπόσεισιν ἔ λόγος, seu communicatum subsistendi modum negare, & consequenter ex assumpta carne non ens velit constituere. III. *A notatione nominis*; 1. Cor. 3. & 6. *Spiritus Dei dicitur habitare in fidelibus*, quæ inhabitatio uti *sine communicatione donorum* non est, ita sine ea non potest intelligi; Quando enim Deus, Levit. 26. 2. Cor. 6. inquit: *inhabitabo in illis*; nequaquam nudum & otiosum incolatum, sed cum collatione donorum coniunctum promittit. Hinc Paulus 2. Corinth. ultim. cap. vers. 5. inhabitationem Spiritus Sancti per *communicationem* exponit, Corinthijs κοινωνίαν Spiritus Sancti optans. Uti autem Deus in sanctis per *communicationem gratiæ particularis* habitat; ita complacitum est Patri, in Christi carne assumpta *omnem plenitudinem Deitatis ἔ λόγος realι κοινωνία* & appropriatione vera inhabitare. IV. *Ab antecedentibus & consequentibus*: in cap. præced. 1. vers. 19. de naturarum in Christo reali & vera κοινωνία ita loquitur: *quoniam in illo complacuit universam plenitudinem habitare*; vers. 20. & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terra sunt, sive quæ in cælis: vers. 21. 22.

Et

Et vos, qui quondam eratis ab alienitati, & inimici mente in operibus malis, nunc tamen reconciliavit in corpore carnis suae per mortem, ut exhiberet vos sanctos & irreprehensibiles & inculpatores in conspectu suo; In cap. vero secundo v. 10. statim subiungit: In illo (in quo omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitat) estis completi, hoc est, sancti & immaculati; Is v. 14. deleuit chirographum contrarium nobis, affigens illud cruci; v. 15. exuens principatus ac potestates: Quibus verbis demonstrat Paulus, unde hoc habeat homo Christus, quod per sanguinem, quod per corpus carnis, ac per corpus mortis eius sumus reconciliati, nimirum non solum à termino unionis, infinita scilicet τοῦ λόγου ὑπόστασις (sic enim nihil aut parum probasset, verum principium apud infideles petisset) sed principaliter à reali & verà duarum naturarum in hac persona κοινωνία & appropriatione à natura ἔργου facta. Proinde, si in habitatio hæc, sine reali & vera κοινωνία Deitatis intelligenda est, falsissima scripsit Paulus de reconciliatione generis humani cum Deo, per sanguinem & mortem crucis hominis Christi, quodque nos in illo, ceu capite nostro completi, sancti, immaculati, ab obligatione & dominio Satanae liberati sumus; cum mors FINITÆ potentia infinitam Dei iram, æternamque maledictionem avertere minimè possit. V. A voce σωματικῶς, quâ innuit, in assumpta, ac sibi per veram κοινωνίαν realiter appropriatâ carne, habitare plenitudinem Deitatis ἔργου, non quemadmodum in sanctis, sive in hac, sive in altera vitâ, sed tanquam in proprio corpore & templo; Hinc Divus Ignatius in Epist. ad Smyrneni. τὸ κατοικεῖν non tantum per τὸ μελιτύσασθαι ἐν σαρκί, hoc est, conversari in carne, exponit, sed in super addit: Sapientiam sibi adificasse domum, quam reliqui Patres templum Deitatis vocare, minimè dubitarunt, comparatione institutâ cum templo V. T. quod (in primis se-

cundum eam partem, quæ קֹדֶשׁ קְדוֹשִׁים *sanctum san-*
ctorum vocabatur, atque ex sententia Conradi Graferi,
 Ecclesiast. Thorun. in Borussia. super c. 9. Daniel. in
 ult. suis verbis, in structura, *formam & staturam hominis*
 representabat) typum *humanitatis* Christi gessit: Sicut
 enim *extra hoc habitaculum, quod ante finem umbratilium*
deserere noluit, illo tempore nec *invocari*, nec *exaudire* vo-
 luit, sed *in hoc ipso quæri & adorari* præcepit: Ita quoque
 in semel assumpto templo, suo sancto sanctorum, cui
 ἀδιασάτως, ἀδιασάτως, ἀδιασάτως καὶ ἀχωρίτως in perpe-
 tuum adest, quodque non *homo*, sed *Deus finxit, stabilivit,*
ac formavit, semper & in æternum manet & habitat, nec
extra illud quæri, invocari & adorari cupit; Et huc respexit
 Bernhard. ierm. 4. de Fer. hebd. pænos. quando scribit:
in quo habitat omnis plenitudo Deitatis non umbraticè, sed cor-
poraliter; Et Cyrill. lib. 12. Thes. c. 15. *Corpus Christi tem-*
plum est verè; in ipso enim voluit habitare corporaliter, tota ple-
nitudo Deitatis. VI. A loco parallelo Ioh. 1. v. 14. *Verbum Caro*
factum est (non solum assumendo carnem in unitatē hy-
 postaticam, sed etiam ita appropriando eam, ut *Verbum*
 ἐνσάρκον iam verè & realiter sit caro) & habitavit in nobis.
 VII. Ab absurdis; 1. Si in hac inhabitatione omnis vera &
 realis κοινωνία negatur, Caro assumpta *deterioris* erit con-
 ditionis, quàm *Sancti*, quorum inhabitationem Paulus 2.
 Cor. ult. per κοινωνία describit. 2. Si illa inhabitatio di-
 vinitatis ἡ λέξις per communicationem finitorum tantum
 donorum, & non per infinitam Deitatis maiestatem definien-
 da est, inhabitatio hæc à gratiosa sanctorum inhabitatione for-
 maliter differre non potest, cum magis & minus non vari-
 ent speciem. Vidit hæc Theodoretus in cap. de Antichri-
 sto scribens: *Verbum incarnatum non particularem gratiam*
 CONTULIT assumpta natura, sed totam plenitudinem Dei-
 tatis

tatis complacuit in ipsa habitare: Quo in loco Theodoretus in habitationem, per realem collationem explanat, innuens, quod sicut Deus in cæteris sanctis per mensuram donationis habitat, ita naturæ assumptæ non solum infinitam hypostasin, sed in ea quoque omnem plenitudinem Deitatis contulerit. Et Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 15. Christus non ut Propheta energiâ unctus est, sed totius ungentis præsentia. VIII. A testimonio orthodoxæ Antiquitatis, quæ planè idem quod nos, de præsentilo Pauli sensit, ac in habitationem deitatis ἡ λόγος, per realem κοινωνίαν infinitæ maiestatis, cuius caro assumpta verè particeps facta est, exposuit. Ignatius in Epist. ad Trallianos: Maria genuit corpus, habens Deum ἐνοικον, id est, inhabitatorem quasi domesticum in proprio assumpto corpore personaliter inhabitantem. Idem ad Smyrnenses: Verbum in CARNE ὡκησεν, habitavit; Sapientia enim sibi adificavit domum. Et ibidem: Blasphemare Deum, qui non confitetur Christum ἐν σαρκὶ πεπολιτευσαμένου, in carne conversatum, officia ministerij sui perfecisse. Justinus Martyr, in expositione fidei: Quomodo namquæ Verbum substantiâ suâ IN templo proprio est, atque in rebus universis consimiliter? Et quid præcipui TEMPLUM habeat præ rebus communiter omnibus? Orationem ipsam dicentem audiamus. Qui est in sinu Patris, substantiâ rebus cunctis impartibiliter adest. Nec ita ipsum in Patre, sicut in reliquis esse dicimus: non eò quidem, quod substantia in alijs existens contrahatur, sed propter eorum, quæ illam capiunt modulum, per imbecillitatem suam Divinam præsentiam non admittentium. Pari modo IN proprio templo inseparabiliter Verbum esse affirmantes, ac veluti plenitudinem Deitatis inhabitare IBI fatentes, omnibus quoque id ipsum adesse dicamus, sed non consimiliter. Non enim capit corpus sordidum, radios Deitatis. Atque id quod dictum est, exemplo addisce. Sol communis nobis omnibus quotidie propositus



est, neque huic minus, illi magis illucet, sed vim efficaciamq; suam ex aequo communiter cunctis emittit. Quod si quis acres habeat oculos, plus de illius recipit radijs: non quidem, quod Sol aliquo modo ad eum se magis, quam ad alios applicet, verum propter propriam visus eius virtutem. At si cui obtusa sint lumina, ne lucis quidem splendori ipsi illa intendere poterit, propter cernendi vim debiliorem. Simili modo mihi in animo tuo considera iustitia Solem universis quidem ex aequo substantia, ut qui DEUS sit, praesto esse: nos vero omnes, utpote infirmos & peccatorum sordibus lippientes, oculis nostris propter languorem, lucis praesentiam non sustinere. Templum autem incolit, oculum videlicet purissimum, & splendoris universae lucis capacem, utpote à Spiritu Sancto formatum, & omni ex parte à peccato secretum. Vt namq; Sol pariter omnibus, iuxta operationem suam illucet, non pariter tamen ab omnibus excipitur: Sic & Verbum omnibus se secundum substantiam exhibens, non pariter rebus alijs & templo proprio adest. Quo in loco Justinus docet, plenitudinem Deitatis in assumpta carne, ceu in proprio templo, per realem *νοικωσιν* ita habitare, ut illi universae lucis splendorem exhibeat & communicet. Cyrillus de Incar. Unige. cap. 12. Quoties litera sacra commemorat, quod in Christo inhabitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter, non ideo dicimus, tanquam in alio Christo in Homine seorsum inhabitasse Deum Verbum. Et post pauca: Quoties quaequam, quae dissimilia sunt, inter se sociantur, ut collecta in adunationem per compositionem videantur: deinde alterum ex his IN ALTERO habitare dicatur: non dividendum in duo, adunationis conventionem minimè violandam, licet suis nominibus per sese ea, quae adunata sunt, nominentur à nobis. Et lib. 2. de Fide ad Reginas: In quo igitur habitavit plenitudo omnis Deitatis corporaliter? Itaque propriè quidem & seorsim in Natura Verbi putare hoc esse factum, valde stultum foret. Nam perinde esset ac si diceret,

dices, quòd ipse unigenitus habitavit in seipso. Credentes autem quòd Verbum caro factum est, non per translationem vel conversionem, sed quòd magis habitavit in nobis, & templum proprium fecerit, unita sibi secundum veritatem corpore, quòd animam habet rationalem: pium erit dicere, quòd habitationem IN SANCTA CARNE Verbi, hoc est, Unionem verè significans nobis Divinus Paulus. Ex his similiter patet, Cyrillum sentire, plenitudinem Deitatis IN homine assumpto habitare: nec id absque reali communicatione idiomatum, quam distinctis in locis, inculcavit. Ita enim de Incarnat. unigeniti, cap. II. Ergò decentius sit, & rectè quidem ita sentire: quòd servare volens id, quod perierat, descendens ad nos Deus Verbum, per quod omnia, & cum in id se, quod non erat, immisit, ut & hominis natura id, quod non erat, fieret, DIVINÆ MAIESTATIS DIGNITATIBUS per adunationem nitescens, quæ sublevata magis est ultra naturam, quam deicit intra, naturam invertibilem Deum. Lib. I. in Johan. cap. 15. Indecens omninò esset, si ignis quidem qualitatem suam coniuncta sibi materia immittere possit, ac eo modo in se materiam transmutare: Verbum autem Dei, PROPRIUM sibi naturalemq; bonum, id est, VITAM, coniuncta sibi carni non posset INFUNDERE. Lib. 4. in Johan. cap. 12. Cùm vivificans Dei filius in carne habitaverit, ad SUUM bonum eam, id est, ad VITAM reformavit, & totus (ut ita dicam) TOTI, ineffabili modo unionis coniunctus, VIVIFICAM IPSAM effecit. Athanasius sermon. 4. contra Arian. Cùm semper Deus esset, &c. Post modum in gratiam nostri, homo factus est, & corporaliter, ut inquit Apostolus, habitavit Divinitas IN CARNE. Quæ verba idem valent, ac si dicas: Cùm Deus esset, proprium quoddam corpus cepit, eoq; utens ut organo, homo factus est, propter nos. Ideoq; quæ propria sunt carnis, etiam de illo referuntur, nimirum, quia in carne consistebat: qualia sunt, mortuos excitare.

citare:

citare, cecis visum reponere, hamorroissam sanare, ea quoque omnino corporis ministerio peragebantur. Et quemadmodum Verbum infirmitatis carnes baiulabat, ut suas, neque idmirum, erat enim caro ipsius: ita rursus, cum caro suo ministerio Divinitatis operibus inserviebat, illa opera in carne fiebant, quia caro illa erat corpus Dei. Et postea: Nisi opera Deitatis Verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo Deificatus esset: Rursum, Nisi, quae opera sunt carnis, Verbi dicerentur, nunquam ad plenum homo ab illis liberatus fuisset. Ex his manifestè intelligitur, Athanasium cum inhabitatione Deitatis IN carne, mutuam quoque communicationem idioma- tum nobiscum asserere. Augustinus Epist. 57. Deus ubique praesens est, & ubique totus praesens, nec ubique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est ac propitius. CAPITUR autem habitans, ab alijs amplius, ab alijs minus. De ipso verò capite nostro Apostolus ait: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, non ideò corporaliter, quia corporeus est Deus: sed aut Verbo translatus est, tanquam in templo manufacto non corporaliter, sed umbratilitèr inhabitaverit, id est, praefigurantibus signis. Nam illas omnes observationes, umbras futurorum vocat, etiam ipso translato vocabulo. Summus enim Deus, sicut scriptum est, non in manufactis templis habitat. Aut certè CORPORALITER dictum est, quia & IN CHRISTI CORPORE, quod assumpsit ex virgine, TANQUAM IN TEMPLO, HABITAT DEUS. Hinc est enim, quòd Iudaeis signum petentibus, cum dixisset: Solvite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud: Evangelista, quid hoc esset, consequenter exponens, ait: Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Quid ergò est? Hoc sine interesse arbitramur, inter caput & membra cetera, quòd in quolibet, quamvis precipuo membro, velut in aliquo magno Propheta aut Apostolo, quamvis divinitas habitet, NON TAMEN SICUT

SICUT IN CAPITE, QUOD EST CHRISTUS, OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS. Nam & in nostro corpore sensus inest singulis membris, sed non tantus, quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinque partitus. Ibi enim & visus, & auditus, & olfactus, & gustus & tactus. In cæteris autem solus est tactus. An etiam præter hoc, quod tanquam in templo in illo CORPORE habitat omnis plenitudo divinitatis: Est aliud quod intersit inter illud caput, & cuiuslibet membri excellentiam? Est plane quod singulari quadam susceptione hominis illius una facta est persona cum Verbo. De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit, Verbum caro factum est. Nullus Sanctorum qualibet præstantia gratia, unigeniti nomen accepit, ut quod est ipsum Dei Verbum ante secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Quo in dicto Augustinus Orthodoxam nostram sententiam de vera & reali naturarum ac idiomatum *νοινωνία* non solum similitudine sensuum, quibus omnibus caput communicet, piè astruit, sed apertè in super asserit, in Christi corpore habitare Deum non per finita & creata dona, sed omni Deitatis plenitudine, ut ex ea ceu fonte & nos accipiamus.

XIII. Reijcimus ergo I. Sententiam erroneam Nestorij, Verbum inhabitat, de duabus personis exponentis: Si Deitas, inquit, inhabitat in Christo, ergo alia opus est hypostasi, id est, Dei inhabitantis, alia eius, quod inhabitatur. Verum carnem extra *λόγον* ante assumptionem non *ἀνίστασθαι*, sed *ἐνυπόστατον* esse, hoc est, *λόγον* inhabitantem, & carnem inhabitatam non duos, sed unum constituere Christum, unum non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; unum non confusione substantiæ, sed unitate personæ, ex I. Cor. 5. v. 6. 2. Cor. 5. vers. 14. c. II. v. 2. jam dudum evicimus. II. Matthiæ Martinij in incisionibus p. 20, præsentem locum ad unionem di-

E

stin-

finitarum in Christo naturarum propriè spectare negan-
 tis, orthodoxamque dicti hujus ἐξήγησιν, MONSTRUM
 nomine dignantis; cui præter *textus* evidentiam, vel uni-
 cum opponimus *Bezam.*, in annotationibus majoribus
 super hunc locum ita scribentem: *Illustris est hic locus, si
 quisquam alius, & paucissimis verbis complectens, quicquid de
 Christi persona nobis sentiendum est. Cum enim inquit, ἐν αὐ-
 τῷ, in ipso, manifestè in unica hypostasi duas naturas statuit, &
 quidem distinctas: & cum ait: καὶ οὐκ ἐῖ, unionem declarat mini-
 mè temporariam, sed perpetuam, ut diximus Matth. 2. vers. 23.
 Quamobrem etiam non scripsit καὶ ὡκεῖν, inhabitavit, sed κα-
 τοικεῖ, inhabitat, tempore videl. præsentis. Præterea non dicit τὴν
 θεότητα, id est, Divinitatem sed τὴν θεότητα, id est, Deitatem,
 ut magis etiam expressè loquatur; Et quamvis Deus non possit
 aliter, quàm integer & in sese perfectus concipi, tamen prospici-
 ens Paulus Arianorum & aliorum hereses, qui secundarium
 Deum erant annunciaturi, non scripsit simpliciter τὴν θεότητα sed
 πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος (id est, omnem plenitudinem Dei-
 tatis) in Christo habitare: ut iam nulla sit causa, cur filius patre
 minor censeatur, vel hypostases cum ἁγία confundantur: Postre-
 mò plenè explicat istius habitationis mysterium, addens ad verbi-
 um σωματικῶς, corporaliter, ut significet, non ex virtutis nudè
 communicatæ efficacitate (sicut in Prophetis & sanctis omnibus
 dicitur Deus habitare) nec Sacramentali & ἁελυγῆ coniuñctione,
 (quâ ratione Petra dicitur fuisse Christus, & Deus in templo, & in
 medio populi sui habitasse) sed substantiali, si ve ipsarum natura-
 rum hypostaticâ unionem (quam vocât) sancitum esse hanc coniuñ-
 ctionem, ut ipsa Verbi persona & humanitas in illa subsistens, uni-
 cum sint ὁμοούσιον. Eadem ad verbum habet Stephanus
 Zegedinus in locis cōmunibus p. 617. III. Vorstij, per inha-
 bitationem illapsam quendam divinum intelligentis, quo di-
 vinitas in carne requiescat; Verùm, quia hūc cerebri illapsam
 non*

non solum vox *σωματικῶς*, sed etiam propria verbi *inhabitan-
tandi* significatio, quæ in sensu Vorstiano nusquam legi-
tur, planè & plenè exsiccat, novo helleboro in *educendo*
noxio hoc humore opus non habet. IV. Nonnullorum
denique *Calvinianorum*, verbum *καλοικεῖ* ad *divinitatem* &
λόγος referre allaborantium, quippe per cuius inhabi-
tationem tùm demùm Christus dicatur *plenus & perfe-
ctus Deus*, quorum sententiam, in limine statim refuta-
tam, repetere nolumus.

XIV. Alterum, quod circa prædicatum notandum
venit, est res in carne Christi inhabitans, vocaturque ab
Apostolo, *πᾶν τὸ πλήρωμα Ἰησοῦ Θεότητος*, omnis
plenitudo Deitatis. τὸ πλήρωμα, *plenitudo*, in
Scripturis pro ratione eorum, quibus adjungitur, varia
significat. 1. *assumentum seu supplementum materiæ*, Mat-
thæi 9. v. 16. 2. *numerum certum, tùm hominum* Rom. II.
v. 12. 25. 3. *tùm temporis* Gal. 4. v. 4. Ephes. 1. vers. 10.
4. *Impletionem legis* Rom. 13. v. 10. 5. *Copiam abundan-
tem* Rom. 15. v. 29. 6. *Contentum τῆς οἰκουμένης seu orbis ter-
rarum* 1. Corinth. 10. v. 28. Psalm. 23. v. 1. 7. *Ecclesiam*
Ephes. 1. vers. 23. 8. *Consummatam donorum Dei perfectio-
nem*, Ephes. 3. vers. 19. 9. *Divinitatem & λόγος essentialem,*
eamq̄ plenam & totam, quæ in Christo homine unione personali
essentialiter & substantialiter habitat; Johan. 1. v. 16. Col. 1.
v. 19. & in hoc nostro loco; quo in sensu non solum *om-
nem imperfectionem & defectum in totum excludit*, sed etiam
omne id, quod sub certa mēsurā aut partitione dici, cogitari ve
potest. Ἡ Θεότης, *Deitas* seu divina essentia hīc li-
mitatè in persona & λόγος accipitur; Licet enim *tota Trini-
tas* in natura Christi humana, juxta Augustinum habitet
maiestate, in solo tamen λόγος, qui in suæ personæ unita-

tem carnem assumpsit, *terminativè* seu *personaliter*; vult ergo Paulus dicere: In carne seu natura humana assumpta habitat *non aliquanta particula, portio seu mensura, sed plenitudo, & quod amplius est, tota illa plenitudo; tota inquam plenitudo, non aliquot insignium, excellentium, præstantium & summorum creatorum & finitorum donorum, sed ipsius infinita, æterna & immensa Deitatis* & λόγος.

XV. Orthodoxam hanc interpretationem quatuor in textu vocabula muniunt, quorum I. est particula ὅτι syncategorematica causalis (quam omnes versiones excepta Syriacâ & Arabicâ retinent) rationem ostendens, cur nec in Philosophia, nec in legibus Mosaicis, sed in solo Christo salutis nostræ ratio unica consistat, nimirum *ideo, quia* Christus non homo tantum, sed *verus & essentialis Deus* sit, seu uti Paulus loquitur: quia *in illo tota Deitatis plenitudo corporaliter habitat, adeoque ab illo solo, ceu salutis nostræ fonte, & capite, omnia bona ad vitam æternam necessaria in nos ceu membra ipsius deriventur.* II. Est Θεότης, quod tantum hoc in loco, annotante Zanchioli lib. 1. de natura Dei, cap. 10. Thef. 6. Tom. 2. oper. p. 22. legitur, quando scribit: Nomen Θεότης semel apud Apostolum legitur ad Col. 2. v. 9. & quidem pro IPSA DIVINA ESSENTIA eam accepit, cum dixit: *in Christo habitare πᾶν πλήρωμα τῆς Θεότητος;* per Deitatem ergo non *habitus* tantum divini, aut *finita, excellentia & creatitia* dona, sed *ipsissima Dei natura*, charakteristica differentia geniti limitata, intelligenda est, nisi quis scopum & connexionem paulinam infringere velit; Ex toto enim contextu apparet, Apostolum adferre *causam*, cur *extra Christum* salutis nostræ ratio nec in *Philosophia*, nec in *Lege Mosaica* sit quærenda, ut ei aliquid addatur; nimi-

nimirum, quia *Christus non homo tantum, sed verus etiam Deus*, ac consequenter perfectissimus servator sit, ita, ut qui illum habet, nihil amplius desiderare possit. III. est *πλήρωμα*, quod, uti supra monuimus, ipsam perfectissimam divinam & λόγος naturam, & quicquid in ea est, vel ad eam pertinet, significat. IV. Est particula *πάν*, ex unanimi interpretum orthodoxorum consensu omnimodam & undiquaque absolutam perfectionem, plenitudinem atque integritatem notans; omnis enim plenitudo & λόγος est in corpore sibi adunato tota, seu uti Damascenus lib. 3. *Orthod. Fidei c. 6.* loquitur: *Tota ac perfecta Deitatis natura cum tota humana natura copulata est, & non pars cum parte; paulò post: Toti humane nature totam Deitatis essentiam unitam esse asserimus: Et mox: Totum quippe me totus assumpsit, ac totus toti unitus est, ut toti salutem afferet.*

XVI. Reijcimus ergo. §. I. *Chrysostomi* interpretationem, locum præsentem in hom. de Spiritu S. *de donis & effectis Spiritus Sancti* exponentis, sed minus commodè; I. enim *dona & effectus Spiritus* in universo codice sacro nullibi *πάν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος* vocantur; nec II. *σωματικῶς* hominibus *inhabitare* dicuntur; observavit hæc Beza in annot. N. T. super hunc locum pag. 313. ita scribens: *Nec enim assentior Chrysostomo, qui in homilia de Spiritu Sancto, istud non de ipsarum naturarum reali unione, sed de donis & effectis Spiritus Sancti interpretatur. Malui autem ego ad verbum explicare totum hunc locum, quam magis latinas voces consuetando, non omnia exprimere.* §. II. Illorum expositionem, qui per plenitudinem divinitatis non substantiam, sed qualitatem intelligunt, hoc est, *dona Christi ad Ecclesie regimen necessaria, & plenitudinem gratiarum habitualium*; Ita enim Tossanus super cap. 1. Colos.

vers. 19. *Vterq; locus* (scil. cap. 1. v. 19. & cap. 2. v. 9.) *ac-*
cipi potest pro plenitudine gratiarum habitualium, sive omnium
donorum, requisitorū ad Ecclesia perfectionem & salutem, quæ
Ephes. 3. vocat πλήρωμα & Θεῶν. Zanchius lib. 5. de uno ve-
ro Deo part. poster. cap. 4. pag. 527. Tom. 1. Operum,
locum Col. 1. vers. 19. de donis ita exponit: In hoc nomine
Christo, qui etiam Deus est, posita est voluntate Patris, omnis
plenitudo BONORUM, ut ex ipso tanquam ex capite, ea bo-
norum copia fluat in Ecclesiam, hoc est, in totum corpus. Sadeel
de veritate hum. naturæ obiect. xi. pag. 187. Operum, in
exposit. dicti Colos. 2. vers. 9. inter cætera hæc habet:
Adde donorum præstantiam, quibus excellit humana Christi na-
tura, & quibus ipsa natura non aboletur, sed præstantissimè ex-
ornatur. Ursinus in explicat. Catechet. pag. 241. Deus &
homo Christus donis omnibus creaturis antecellit, etiam quoad
humanam naturam: quia in ipso habitat omnis plenitudo. Suf-
fragari videtur Beza, quando in annot. super cap. 1. Col.
v. 19. ita scribit: plenitudinis nomine significatur cumulati-
ssima omnium rerum divinarum copia, quam Scholastici gratiam
habitualem, à gratia unionis distinctam, appellant. At expo-
sitio hæc. I. Photiniana est: Ita enim Eusebius in expli-
cat. V. & Novi Test. super hunc locum: Plenitudo non es-
sentiam aut substantiam, sed qualitatem denotat; & paulò in-
ferius: Ex quibus (puta Calvinianorum expositioni-
bus) apparet, hinc per plenitudinem Divinitatis nihil aliud, quàm
dona Dei excellentissima, & Spiritus S. copiam esse intelligen-
dam. Iam verò nemo propter dona Dei, quantumvis excellentia,
verus & æternus Deus haberi debet. &c. II. Principium petit;
probenz enim dona creata & habitualia, quæ humanitati
Christi adscribunt, in sacris vocari totam Deitatis pleni-
tudinem, illaque ceu qualitates & accidentia cum natura
humana unum constituere ὁφιστέμενον. III. plurimis
Calvi-

Calvinianis contradicit. Ita enim Zanch. part. prior. lib. 6. de uno vero Deo, cap. 4. Tom. 1. operam pagin. 289. Quid verò clarius illis, quæ scribit ad Coloss. Nam in eo (Christo) inhabitat πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Primò in Christo inhabitat Deitas, ergò duæ in eo natura, divina inhabitans, & humana inhabitata: Ideò notandum est, non dixisse Apostolum πλήρωμα θεότητ^ε, quasi (ut Antichristi dicunt) in Christo homine fuerit tantùm plenitudo divinarum rerum, sapientia, potentia, bonitatis, donorum Spiritus: atque ita sit divinus tantùm homo, omnibus creaturis reliquis antecellens: sed dixisse, πλήρωμα τῆς θεότητος. Est enim magnum discrimen inter utramq; dictionem; illa qualitates divinas, hæc essentiam significat. Deinde inhabitat, nempe semper & perpetuò, quasi in proprio domicilio; Sic enim ferè accipitur verbum κατοικεῖν. Inseparabilis igitur Deitas in Christo ab humanitate. θεότης est DEITAS ipsa seu Divina essentia; hæc etsi est impartibilis, Apostolus tamen ut significaret, totam esse in filio, non dixit simpliciter, in ipso inhabitat θεότης, sed addit πλήρωμα: imò etiam, ut melius exprimeret, adiecit πᾶν. Ergò nihil Deitatis est in Patre, quod non sit etiam in filio, ac proinde per omnia Patri æqualis est Filius. Non inhabitat autem Deitas in Christo COMMUNICATIONE VIRTUTUM & DONORUM, seu per EFFECTA, sicut in sanctis; neque sacramentali unione, sicut Deus in templo suo habitasse dicitur: sed inhabitat σωματικῶς, hoc est unione σωματικῇ, substantiali & hypostaticâ: σῶμα enim substantia est, & ideò etiam hypostasis; proinde dixit σωματικῶς, ut doceat, ex Deitate & humanitate conjunctis constare unum Christum. Idem lib. 3. de uno Deo part. poster. c. 4. Tom. 1. oper. p. 435. hæc Photinianorum de adoratione Christi ponit instantiam; At (dicunt) alio modo, longeq; diverso Deus inhabitat in Christo, & in sanctis, & olim in templo Hierosolymitano: In Christo enim plenitudine dono-

donorum, & ut inquit Apostolus, Col. 2. v. 9. plenitudine Deitatis corporaliter: At in sanctis, donis aliquot & primitiis Spiritus: Minus etiam excellenter in templo olim Hierosolymitano, & in nostris Ad quam his respondet verbis: Si in dicto Apostoli, ut nos cum tota vetustate interpretamur, intelligas plenitudinem Deitatis, hoc est, totam Deitatem in Christo, hoc est, in humana Christi natura inhabitare corporaliter, seu unione essentiali & hypostatica, ita ut Christus duabus istis constans naturis, verus sit & Deus & homo, admittimus & profiteamur, hanc esse veram & legitimam causam, cur debeat adorari & invocari totus Christus, HUMANA etiam in eo natura, respectu hypostatica unionis cum divina, ac tum desinet controversia. Verum quia vos (Photiniani) interpretamini plenitudinem Deitatis pro PLENITUDE DONORUM Dei, idcirco dicimus nos, hanc etiam non esse legitimam causam, cur adorandus & invocandus sit Christus. Non enim adoranda sunt DONA Dei, sed Deus ipse; alioqui etiam propter dona Dei in Sanctis, liceret Deum in Sanctis adorare & invocare, & per eorum nomina jurare. Neque refert quod plura in uno sunt dona, quam in alio, & quod in CHRISTO sit PLENITUDO DONORUM & Spiritus, in Sanctis autem primitia; hac enim diversitas efficere nequit, ut in Christo liceat Deum adorare, non autem in Sanctis & Angelis: Ratio est: quia neque dona Dei sunt adoranda, sive PAUCA sive MULTA, sive etiam OMNIA, &c. Idem seq. cap. 7. lib. 3. pag. 459. Hanc Ochini exceptionem ponit: Excipit Spiritus Ochinianus; Etiam in Creaturis alijs omnibus tota divinitas inest, cum sit individua. Sic in Sanctis: ut & in Christo tota est divinitas, quod ad suum esse attinet. Ad quam ita Resp. Sed in nullo dicitur habitare corporaliter, sicut in Christo; Essentiali igitur unione in Christo homine habitat, ut anima in corpore humano, non autem in creaturis alijs, eoque Christus est verus Deus. Imò magis unita est
Deitas

Deitas humanitati Christi, quam anima corpori. Hec enim à corpore separatur; at Deitas ab humanitate separari non potest: Quare fallacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. In alijs Deus est, ut causa efficiens secundum DONA & beneficia; sed in Christo SIMPLICITER, ita ut ESSENTIA DIVINA sit ESSENTIA CHRISTI, quia, ut ita loquar, FORMALITER unita est humanitati, ut anima corpori. At plenitudo, (inquiunt Photiniani) accipitur pro plenitudine bonorum, potentie, bonitatisq; divinae, quia Deus operabatur & operatur in Christo & per Christum, perinde ac si in eo sit solo. Sed Apostolus non ait, plenitudo Θεότητος, id est, divinitatis, ut significet divina DONA, divinamq; potentiam & bonitatem; sed ait Θεότητος, quâ voce ipsa essentia Dei significatur. Nec dicit, quasi in ipso sit: sed ait, eum in ipso habitare, nempe verè, & quidem Corporaliter, &c. Idem lib. 5. seq. cap. 4. pag. 530. Tom. 1. Oper. In cap. 2. nomine plenitudinis Deitatis aliud intelligit Apostolus, quam copiam & abundantiam bonorum, nempe fontem ipsum omnium bonorum, DEITATEM scil. ipsam, verè in Christo habitare corporaliter. Et μοκ: Deitas in Christo homine, Deus ipse est: Is autem est ὁ λόγος, qui quoniam in Iesu σωματικῶς, personali scil. & substantiali unione inhabitat, idcirco sit, ut tota persona Iesu Christi, verus Deus esse dicatur & sit. Idem de natura Dei, lib. 2. cap. 6. pag. 104. Tom. 2. Oper. Duplex est discrimen inter modum, quo Deus in omnibus est, tota sua essentiâ, & in electis quoque suo Spiritu: & inter modum, quo EADEM ESSENTIA Divina est in Christo HOMINE. Primum enim in nobis est, non ut pars nostri, sed tantum ut causa efficiens, movens & conservans; Ideò, etsi Deus in nobis est tota sua essentiâ & Deitate, non sumus tamen Dii, quia non inest ut pars nostri, sed tantum ut causa agens. Sed in Christo, seu IN HUMANA Christi natura inest & inhabitat, non tantum ut causa efficiens, sed etiam ut pars compositi, quia carnis

F & san-

& sanguinis particeps factus est, Hebr. 2. vers. 14. Constat enim
 Christus his duab. naturis, divina & humana, ac proinde ut ve-
 rus est homo, ita etiam verus est Deus; proinde non simpliciter
 dixit Apostolus Coloss. 2. v. 9. In ipso habitat omnis plenitudo
 Deitatis, sed adiecit, σωματικῶς, hanc voce significans, ex divina
 & humana natura, quasi ex materia & forma, unum conflatum
 esse corpus, hoc est, unam veram & verè subsistentem personam,
 his duabus constare naturis, ita ut verus sit homo & Deus. Ur-
 sinus ad Epit. Colloq. Maulbron. Tom. 2. operum, pag. 186. In Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corpo-
 raliter, ve essentialiter, hoc est, non partem tantum salutis no-
 stræ, ita ut reliquum aliunde petendum sit, sed totum in eo situm
 esse. Neque enim divina tantum munera in eo aut dona, neque
 creata omnipotentia, omniscientia, ubiquitas, &c. corporis sui
 & animæ, sed ipsa æterna, vera, essentialis & perfecta divinitas
 habitat, non quomodo in Petro & Paulo habitat, sed corporali-
 ter, ve essentialiter (utrumque enim significat vox illa, quæ ibi
 ponitur) hoc est, tanquam in proprio templo, ita quidem ut divi-
 nitas CARNEM Christi assumeret, atque unà cum hac carne
 substantiam & essentiam huius unici Christi constitueret, adeoq;
 hic unus Christus utrumque sit, & templum Dei, & in hoc
 templo inhabitans Deus, id quod alioqui in nulla creatura, in qua
 divinitas habitat, usu venit. Sadeel de verit. human. na-
 turæ Christi, pag. 194. oper. Agnoscimus cum Apostolo ple-
 nitudinem Deitatis habitare in Christo corporaliter, hoc est, τὸν
 λόγον esse verè & hypostaticè cum humana natura unitum in
 Christo, adeo, ut hoc enunciatum sit verissimum; Christus est
 Deus benedictus, &c. Et post pauca: Affirmavit Paulus,
 hanc ipsam HUMANAM naturam, quæ cum Christus hinc ver-
 saretur, omnium oculis proposita fuit, esse tanquam templum
 ipsius Deitatis, eò, quod verè & personaliter cum ipsa Deitate
 unita est. Corporaliter dictum est, inquit August. Epist. 57.
 quia

quia & in Christi CORPORE, quod assumpsit ex virgine, tanquam in templo habitat Deus. Et Cyrillus: omnis plenitudo Deitatis in eo habitavit, modo, inquam, adunationis, &c. Vide Daniel, Thossan. super cap. 2. Coloss. v. 9. Stephan. Zegedin. in locis com. pag. 617. 2. oper. Aretium, Olevianum, Grynaum, Marloratum, Bullingerum, Gualtherum, & alios, qui propriæ sententiæ impietatem animadvertunt, ac dictum hoc de essentiali & λόγος Divinitate nolentes volentes explicant.

XVIII. §. III. Illorum, qui plenitudinem Deitatis de perfecta, plenâq; Dei cognitione, quam Christus in suo Evangelio non sub umbris, sicut Moses in cultu Levitico, & ceremoniali lege, sed planè & perspicuè tradat, explicant: Ita enim Vorstius in Notis ad Disput. tert. de Dei attributis, pag. 200. Tota Deitatis plenitudo, non propriè totâ Dei essentiâ, significat, sed potius universam Dei voluntatem & maiestatem, quatenus à nobis cognosci potest. Descripsit hæc procul dubio ex Epist. 57. August. ad Dardan. Glossa ordinaria & Erasmi annotat. in hunc locum, qui omnes plenitudinem Divinitatis, interpretantur plenam Dei cognitionem, quæ est in Christo Christiq; Evangelio, non autem in Mose & in umbris legis Mosaicæ. Admittimus quidem, plenitudinem Divinitatis perfectam secum afferre cognitionem; Si enim in assumpta humanitate Christi perfecta & essentialis filij Dei natura habitat, sequitur in ea quoque perfectam habitare sapientiam, quâ nos de æterna nostra salute plenè & perfectè instituat; quod autem plenitudo Divinitatis idem sit, quod Dei cognitio, & vice versâ, ita, ut unum per alterum sit explicandum, id constanter negamus. Explicatio proinde hæc I. Ariana est; Ita enim Catechis. Racov. p. III. Vox hæc Divinitas, designare potest voluntatem Dei. Eniedinus super hunc locum scribit: Voce plenitudinis,

non substantiale aliquid, sed perfectionem tantum significari, ut
 oppositionis, inter corpus & umbram. Smaltzius de Divinit.
 Christi, cap. 6. pag. 23. Quoniam in ipso, nempe Christo, hoc
 est, in doctrina Christi, opponitur enim ibi Christus non personis,
 sed doctrinis, habitat omnis illa plenitudo divinitatis corporali-
 ter. Et post pauca: Divinitatem igitur eius plane insignem
 esse oportet, cuius doctrina tantâ divinitate refertissima est.
 II. Principium petit, assumens id, quod erat proban-
 dum. III. Scopum & contextum Paulinum supra mon-
 stratum, unâ cum subiecto pervertit. IV. Patrum expo-
 sitionem invertit, utpote qui umbris Mosaicis, & præceptis
 philosophicis non solum doctrinam Christi, sed & ipsam na-
 turam Ἐ λόγῳ in carne habitantem, opposuerunt.

XVIII. IV. Illorum, qui omnem plenitudinem
 Divinitatis Ἐ λόγῳ totaliter totam tantum PERSONA-
 LITER in assumta carne habitare, ESSENTIALITER
 verò non tantum in assumta carne, sed etiam totaliter
 totam EXTRA illam, non sine ulla tamen personalis
 unionis solutione, habitare contendunt. Ita enim Pola-
 nus part. 2. Syll. Thes. Disput. de unione person. Thes.
 17. Tota divina natura Ἐ λόγῳ est & habitat in corpore, idē
 totaliter, ut quiddam ὅλως ὅλον & Spiritus: Thes. 18. Est et-
 iam EXTRA corpus sibi adunatum, nimirum tota totaliter, ut
 infinita est, seu propter essentia suâ infinitatem. Ursinus in re-
 spons. ad Censuram Catechismi in Palatin. Tomo 2.
 Oper. pag. 61. Censor hic satis audacter dicit: Si humana na-
 tura non ubique esset, ut Divinitas, separaretur persona; Sed ne
 minimo quidem verbo probat, nec unquam probare poterit. Et
 si enim divinitas EXTRA humanitatem est, tamen ab ea non
 dividitur, propterea quod non alia, sed eadem Deitas, quæ EX-
 TRA humanitatem est, etiam IN ea est & permanet; atque ita
 aeternum Dei Verbum est verus homo, id est, cum sua humanisa-
 te per-

te personaliter copulatum & unitum, quocunque loco sit, sive extra, sive intra humanitatem. Verùm opinio hæc Scripturæ oppositissima est. Sicut enim ὑπόστασις ἡ λόγος infinita nec potest nec debet sine assumpta natura (in qua non nisi infinite subsistere, & consequenter, omnibus rebus, per indistinctam adessentiam, semper actu adesse potest) quæri, cogitari, adorari, cum non in partem aliquam, sed in infinitam, totam & omnem ὑπόστασιν ἡ λόγος modo admirabili & stupendo planè, sine ulla distantia & loci intercapedine assumpta sit, ita & natura ἡ λόγος ab ὑπόστασει propria, realiter non discriminata, nec potest, nec debet, QUOCUNQUE MODO EXTRA assumptam carnem quæri aut cogitari; cum incarnatio τῆς λόγος seu unio hypostatica, in universa Scriptura Sacrà (proferant dictum si possunt!) TANTUM per totius τῆς λόγος in carne assumptâ INHABITATIONEM; (I. Tim. 3. v. 16. *Deus manifestatus est IN carne*; Col. 2. v. 9. *IN ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*) NUNQUAM NUNQUAM verò per extra, sive essentia, sive personæ, sive existentia, sive infinitatis, sive totale, sive parziale describatur. II. Absurdissima est. Quamprimùm enim una natura aliquo saltem modo, quocunque etiam prætextu & declaratione id fiat, poni EXTRA alteram & SINE altera positivè, rupta est unio, scissa persona, separatæ naturæ, idiomata & operationes, personæ duplicatæ (*una nimirum incarnata iam in cælis, altera non incarnata iam in terris*) unio μερικῇ, unius tantùm loci spatio terminata, λόγος μερικός, humanitati præsens & non præsens, unitus & non unitus, compositus cum illa & non compositus, ἑνωτικός & ἀνωτικός, hypostasis extra id, cuius est hypostasis, Christus σύνθετος ab Ecclesia absens, & ut paucis omnia dicam, cum Calvinismo etiam Nestorianismus ad orcum iam dudum damnatus ple-

nis introductus velis, sicuti id in Exegeſi v. 20. cap. 10. Matth. invictis evicimus argumentis. Nec est, ut obijciant, in morte Christi animam à corpore per locorum Διαστήματα separata, ac consequenter naturam Ἐ λόγος in certo loco, nempe sepulchro, corpori; EXTRA hoc verò, in definitivo quodam τῶ, nempe Paradiso, animæ fuisse unitam; cum mors propriè non per separationem, sed dissolutionem corporis & animæ, Phil. 1. vers. 23. cujus separatio demùm CONSEQUENS (soluta enim & non ligata seu unita separantur) describatur. Proinde licet in morte Christi, anima à corpore actu & vinculo naturali verè fuerit soluta, & consequenter etiam per locorum Διαστήματα à corpore separanda fuisset: quia tamen tum anima, tum corpus propriâ destituuntur hypostasi, in infinita verò & totali hypostasi Ἐ λόγος actu semper substetere & adhuc subsistunt, in infinita illa hypostasi τῶ λόγος actu personali (non naturali) in ipso etiam mortis articulo manserunt coniunctissima.

XIX. V. Illorum, qui præsentiam Christi θεωνθρώπων ad omnes creaturas generalem, ex hoc dicto demonstrari posse negant, quam thesin omnes sibi defendendam sumunt Calviniani: Ita enim præter Ursinum in respons. ad Censur. Catechis. Tom. 2. Oper. pag. 62. Beza, Junium, & similes, Sadeel in Operib. fol. 194. scribit: *Agnosimus cum Apostolo, plenitudinem Deitatis habitare in Christo corporaliter, &c. sed negamus inde sequi, corpus Christi esse ubique, nec ullam possum animadvertere huius consequentiae rationem, &c.* Hanc verò ut lippientes videant Calviniani, categoricè & hypotheticè argumentamur: *Categoricè*: In quacunque carne per unionem personalem tota τῶ λόγος divinitas ita habitat, ut ab ea plenè & planè possideatur, habeatur, ac (incircumclusè & incircumscriptè) capiatur, ei carni communicata est, mediante illâ unione, tota divina λόγος

λόγῃ natura, & consequenter etiam *Omnipresentia*. At-
 qui in assumpta carne tota λόγῃ divinitas per unionem
 personalem ita habitat, ut ab ea *plenè & planè* possidea-
 tur, habeatur, ac (*incircumclusè & incircumscriptè*) capia-
 tur; [Hinc caro in personam λόγῃ infinitam assumpta, ac
 à natura λόγῃ realiter appropriata, à Nyssen. apud Theo-
 doret. *caro capiens totum λόγον per περιχώρησιν, & σὰρξ θεοδό-
 χος*, hoc est, *caro Dei receptrix*; ab Irenæo lib. 3. cap. 18.
homo portans, capiens & amplectens filium Dei; ab Ignatio
 in Epist. ad Trallian. *σῶμα ἔχον τὸν θεὸν ἐνοικόν, corpus habens
 Deum inhabitatorem quasi domesticum*; *δοχεῖον* (non *δεκλι-
 κὸν*, sed *προσελικόν*) *τῆς σοφίας καὶ θεότητος*, hoc est, *receptacu-
 lum sapientia & Deitatis*, ab Epiphanio in Ancorato; ab
 Athanasio verò *περιβολὴ τῆς θεότητος, amiculum Deitatis di-
 ci meruit*] Ergò *carni assumptæ* communicata est, mediante
 illâ unione personali, *tota divina λόγῃ natura*, & conse-
 quenter etiam *omnipresentia*. *Hypotheticè*: Si tota & omnis
 plenitudo Deitatis λόγῃ tantum est in assumpta carne, & *nullo
 nullo modo* (sive *totaliter* sive, ut, ita loquamur, *partialiter*)
 EXTRA eam, sequitur, *aut plenitudinem Deitatis λόγῃ de-
 tractam esse ad aliquam finitatem*, quod impossibile: aut
*contrà humanam naturam in assumptione evehctam ad infinitam
 λόγῃ hypostasim, in qua non nisi infinite subsistere, & consequen-
 ter omnib. rebus, in cælo & in terra indistanter adesse potest*. Nec
 est, ut quis prætendat, carnem, Christi in statu præsertim
 exinanitionis per, assumptionem & unionem accepisse
 saltem *δύναμιν adessendi, sicuti virtutem vivificandi, non
 verò ipsum adessendi actum*; Si enim caro in infimo etiam
 exinanitionis statu, *actu secundo* in infinita λόγῃ ὑποστάσει
 semper substitit, *non potuit non*, vi infinitæ hujus ὑποστά-
 σεως, actu semper omnibus rebus, in cælo & in terra *indi-
 stanter adesse, cum omne id, quod λόγῃ per naturam ha-
 bet,*

Caro Christi in infi-
 mo exinanitionis
 puncto semper
 mansit & fuit in se
 vivifica.

bet, assumpta caro per unionis possideat gratiam. At prius est: Ergo & posterius.

XX. VI. Illorum denique, qui Deitatis nomine intelligunt *Patrem*, (qui solus sit Deus & Deitas ipsa) prætendentes, *hunc habitare in Christo homine nudo, & pro, omniaq; per illum operari*. Verùm licet Pater ἰσὶα sua semper sit in Christo, non tamen habitat in Christo *σωματικῶς*, hoc est, unione hypostaticâ, cùm nunquam legatur Pater, vel *assumpsisse semen Abrahae, vel factus caro*, sed tantùm *λόγῳ*, Hebr. 2. v. 16. Joh. 1. v. 14. Interpretatio præterea hæc non solùm *scopum & totum contextum* Paulinum non attingit, sed insuper cum *subiecto & prædicato* dicti Paulini, uti ex supra demonstratis clarè liquet, directè & ineptè pugnat.

XXI. Restat prædicati nostri membrum ultimum, inhabitationis scil. *ἢ λόγῳ* M O D U S seu T E R M I N U S, quem vocula *σωματικῶς* hoc loco indigitat, ita ut hic sensus emergat: *In Christi corpore* (ceu subiecto, receptaculo & habitaculo) *vel secundum corpus, aut ratione corporis, sive carnis assumptæ, seu hypostaticè unitæ ac realiter appropriatæ, omnis plenitudo Deitatis inhabitat*. Orthodox. hanc expositionem probamus I. *è scopo Paulino*, qui est; omnes nos *per sanguinem, corpus item carnis, & corpus mortis Christi esse reconciliatos*, eò, quòd in *hac carne, in hoc corpore* ceu proprio templo *omnis Divinitatis plenitudo inhabitet*; aliud subiectum si vel innuisset, vel constituisset Paulus, conclusum non probasset, sed apud infideles elenchum ignorationis commisisset. II. *È sensu literalì*, à quo sine necessitate urgente (qualis hoc in loco nulla datur) recedendum non est; proinde sicut vox *σαρκὸς* Johan. 1. v. 14. Heb. 2. v. 14. humanā Christi naturā denotat, ita & hoc loco τῷ *σώματι*, hinc sic argumentamur: *σωματικῶν* præsupponit *σῶματι*.

σῶμα : In Christi persona datur σωμαλικόν ἡ, vi textus Apostolici; Ergò & σῶμα. III. Ex notatione suppositi. Christus non est quiddam *præter naturas*, sed *ambæ natura simul*, seu uti Damascenus lib. 3. Orthod. Fid. cap. 3. loquitur : *Christus non est ἐξ ἑτέρων ἕτερον, ex alijs aliud, quemadmodum ex anima & corpore homo fit, aut ex quatuor elementis corpus, sed ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτὰ, &c.* Ipse est hoc & illud, scil. Deus & homo; Et cap. 4. *Christus est τὸ συναμφοτέρον, Deus & homo SIMUL; Dux natura sunt unus Christus, & unus Christus est due natura, cap. 19.* Habitavit ergò Divinitatis λόγος plenitudo aut in *humana*, aut in *divina* Christi natura. Non in divina, uti supra thes. 9. Plurimis argumentis, partim è *textu*, partim verò ab *Antiquitate & Adversariorum* propriâ confessione deductis evicimus. Ergo in humana.

XXII. Reijcimus ergò I. *Eniedini*, & reliquorum *Photinianorum* interpretationem, qui τὸ σωμαλικῶς ad *visibilem Spiritus Sancti descensum in specie columbæ*, seu uti Luc. cap. 3. vers. 22. habet, *σωμαλικῶ εἶδει factum, refert*, atque hunc sensum elicit : plenitudo Divinitatis, hoc est, *Spiritus Sanctus, habitavit sine mensura, hoc est, mansit & sedit, corporaliter seu visibili specie, in Christo, id est, super Christum*; At sententia hæc Photiniana I. mutat *Subiectum, filium* scil. Dej, in *Spiritum Sanctum*; Paulus enim loquitur, ut supra evicimus, de *Christo*, illi exponunt de *visibili apparitione Spiritus Sancti*; qui actus non *continuus* (uti in habitationis plenitudinis divinitatis λόγος in assumpta carne) sed *transitorius* fuit; hinc Johannes cap. 1. v. 32. scribit : Spiritum Sanctum *MANSISSE non manere*; Paulus verò : plenitudinem Divinitatis ipso actu in carne assumpta habitare, non inhabitasse; Johannes non dicit : Sp. Sanctum ἐν αὐτῷ, in Christo mansisse, sed ἐπ' αὐτὸν, super eum : Contrà Paulus omnem divinitatis plenitudinem ἐν αὐτῷ σωμαλικῶς habitare asserit. II. *Inarnationis mysterium*

Eniedinus in Explicat. locor. Vet. & N. Test. super hunc locum.

rium enervat, quod tamen Apostolus hoc in loco notanter expressit III. *Christum Apostolis aequat*, quia & *in illis* hoc est, *super illos mansit*, hoc est, *habitavit*, plenitudo Divinitatis, h. e. *Spiritus Sanctus*. σωματικῶς, h. e. *Specie visibili*. Actor. 2. v. 3. & 4. IV. Propriam Photinianorum explanationem iugulat: exposuit ipse Eniedinus in explicat. locor. V. & N. T. locum praesentem de *doctrina* Christi, quomodo ergo de *Spiritu Sancto*? V. Totum scopum & contextum Paulinum infringit, quando hunc elicit sensum *In Christo habitat tota Divinitatis plenitudo in speice columba visa*; cum tamen Paulus hoc intendat. Nos, (*qui per sanguinem & mortem Christi Deo reconciliati sumus*) per solum Christum, citra ullum vel legis vel Philosophiae adminiculum, ad vitam aeternam posse completos reddi, quia *in Christi assumpta & realiter sibi appropriata carne omnis plenitudo Deitatis λόγος habitat*. II. Eorum, qui voculam σωματικῶς idem esse contendunt, ac si Apostolus dixisset; plenitudinem Divinitatis inhabitare in Christo crucifixo modo rudi & crasso, quia σῶμα & σὰρξ saepius pro re crassa, rudi, vulgari & externa usurpentur, qui modus vulgò pro stultitia reputetur hoc sensu: ut ut mundus praedicationem Christi & Evangelij crassam & corporalem putet, esse tamen eam divinae plenitudinis in Christo inhabitationem. Verùm Photiniani interpretes I. committunt elenchum particularitatis;posito enim, non concessio, ita alicubi terminos illos accipi, non tamen sequitur, ergo σῶμα & σὰρξ etiam hoc in loco notat rem rudem & externam. II. Contra scopum & mentem Pauli Confundunt substantiam cum qualitate seu accidentibus; In illo namque σωματικῶς plenitudo Deitatis inhabitat quod propter reconciliationem & perfectionem nostram crucifixum & mortuum fuit; sed quid hoc ad doctrinam Christi? III. Eorum; qui voculam σωματικῶς per τὸ corporaliter sive realiter (pensi habentes oppositionem inter

umbrae

umbras legis & complementum vel ipsum Christum Col. 2. vers. 17.) reddunt; expositionis hujus autores sunt I. Patres (August. Epist. 57. prosper lib. sent. August. sent. 291. & Ansel. Christi Corpus cum templo Salomonis conferens) II. Pontificij (Cornelius à lapide Com. in hunc locū p. 690. Bellarm. lib. 3. de incarnat c. 16. p. 649. Francisc. Suarez. Tom. 1. in 3. part. Thom. Diss. 10. art. 10. p. 239.) III. Calviniani (Beza in annot. super hunc locum, aliq̄ superius adducti & IV. Photiniani (Schmalzius de devinit. Iesu Christi cap. 6. p. 23. Corporaliter, h. e. re ipsā, non per umbras, ut in lege antea) diverso licet sensu, priores enim divinitatem λόγος præsupponunt, ac oppositionem inter Philosophiam, umbras Mosaicās & λόγος divinitatem instituunt; Photiniani autem divinitatem λόγος directè impugnant, ac oppositionem solum inter doctrinam & doctrinam agnoscunt, de quo supra. Quocunq; a. modò interpretatio hæc explicetur, generalitate tamen sua sensum non exhaurit, cum Divinitas etiam in sanctis, si non umbratitè, sed VERÈ inhabitet, qua ratione inter inhabitationem plenitudinis Divinitatis in Christo & Sanctis nullū, nisi accidentale saltem secundum magis & minus daretur discrimen, quod absurdum, impium, ac scopo & intentioni Paulinæ contrariū est. IV. Illorum, qui vocem σωματικῶς exponunt dupliciter, uno modò pro ἀληθῶς, verè & realiter; altero verò, pro φυσικῶς, seu naturaliter; verum uti prior sensus mysterium non satis exprimit, ita posterior planè nullus est, cum Divinitas λόγος in assumpta ac sibi appropriata carne non φυσικῶς seu naturaliter, (plenitudo enim Divinitatis gloriam saltem corpori contulit, veritatem non abstulit, perfecit corpus, non interfecit, extulit non sustulit, non defecit sed profecit caro juxta Casianum, seu ut Leo Epist. 11. loquitur; neque in verbum caro conversa est, sed utrumque in uno manet, & unus in utroq; est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, non alter

versio Latina Tigrinor.

ex patre, alter ex matre, sed idem, aliter tamen ex patre, & aliter ex matre) sed ὑποστατικῶς seu personaliter. V. Illorum, qui vocabulum σωματικῶς per τὸ essentialiter, vel substantialiter vel utrumque, sensu licet diverso, reddunt: Quidam enim per τὸ essentialiter & substantialiter idem intelligunt ac realiter, habito oppositionis ad umbras respectu; Quidam per eosdem terminos essentialem Dei inhabitationem in Christo, ut persona, innuunt, non autem secundum alterutram naturam; Quidam ad naturam divinam restringunt, & exinde Christum verum & essentialem Dei Filium evincere attentant; Quidam cum patribus per τὸ substantialiter idem intelligunt, ac ἁσιωδῶς, h. e. inter divinitatem λόγος & carnem assumptam esse veram & substantialem unionem, cui opposita sit inhabitatio χεῖρῃ, παροχαστικῇ & accidentalis; Quidam denique τὸ σωματικῶς idem esse volunt ac ὑποστατικῶς seu personaliter, idque ex usu linguæ Græcæ in qua τὰ πρόσωπα per τὰ σώματα apud LXX. Gen. 34. v. 29. c. 47. v. 12. reperiantur expressa, ita ut innuat terminum ad quem unionis hoc sensu: λόγος seu plenitudo Divinitatis Filij Dei inhabitat in Christo, non uti in Sanctis spiritualiter ac separabiliter ad tempus, sed σωματικῶς personaliter in æternum; quæ ultima explicatio, licet in totum reiicienda non sit, quia tamen I. ad propositum & scopum Apostoli nil quicquam facit, II. naturam, secundum quam inhabitatio illa facta sit, διαρρήδην non determinat; Et III. hanc insuper ἀδολεσχίαν turpem committit: In persona Christi inhabitat plenitudo Divinitatis personaliter planè ac si dixeris: in persona filij Dei inhabitat Divinitas personaliter, illam & Calvinianis Cadmæis fratribus, prælia inter se miscantibus, remittimus, & simul ἐξήγησιν hanc nostram finimus.

F I N I S.


• Etenim tractatum hoc volum: comprehensivum.


1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theorematum tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Ejusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WINKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Ejusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apud prophetas oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII ex verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FRORESENII Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT EJUSDEM dicti Evangelii Luc: XI. 28.
12. Ejusd: de peccatorum Confess: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: ZYSERI Diaboli oraculi Job: 1. 29.
16. Ejusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Ejusd: de Anti. Christo ex 2. Thessal: 2.
18. BULAI EJUSDEM dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliū, Genes: 3. 15.
21. Ejusd: Jesus typicus in sacrificiis veterum ostensus.
22. MARTINI assertio theologic: de curia ad locum Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysterium economia ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegler expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Ejusd: de Confessione dominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrillus.
30. OLEARI lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII Evangelium anathemate desensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi delevisti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinths: 2. 14. 15.
38. MEYCKELII Exercit: theol: ad Rom: II. 31. 32.

ung II 18

VD 17

Z





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

h)

9.

THEΣΙΣ

PAULINI

2. v. 9.

t omnis plenitu-
corporaliter;

QVA

orum, Calvinistarum
arnationis mysterium sophis-
deteguntur & soli-
tantur;

publicè proposita,

S I D E

D O R O

S. S. THEO-

T O R E, E I U S-

R E, E C C L E S I Æ
Rectore Magni-

D E N T E,

ni, Vratislaviensi.

va ad diem 4. & 5. Iulij.



N G Æ,

ICI WERLINI,

DC. XXI

